ut alios doceant illum vereri, eique servire, hanc sine invidia communicare debent, ut in lucro ponant talentum, quod acceperunt, & semet reddant, ut inquit Scriptura, *participes amicitiæ Dei* per rectum usum, fidelemque dispensationem thesauri, qui illis creditus est. *Tournemx in Anno Christiano.*

Sap. 7.

De humana prudentia, & in quo vera prudentia consistat.

Prudentia est recta ratio rerum faciendarum non secus ac scientia est recta ratio rerum sciendarum. Quomodo igitur in scientiis errare duobus modis possumus; 1. Cum ratio persuasa est de illatione mendacii, cui nonnisi species inest veritatis; 2. Cum hæc eadem ratio ad probationes efficiendas, inferendasque conclusiones falsis innititur principiis, quæ tamen illi rationabilia videntur: ita contra veræ prudentiæ rectitudinem duplici pacto peccari potest; 1. Cum studium, & labor rationis nostræ impeditur propter finem, qui vere bonus non est, quamvis omnem habeat speciem bonitatis. Hic proprie effectus est prudentiæ carnis, quæ sibi aliquid persuadet ad libidinem spectans, tanquam verissimum bonum suum. 2. Cum ad finem seu bonum, seu malum perventuri, non adhibemus media, quæ vere bona sunt, sed quæ in speciem dumtaxat bona creduntur; & hic effectus est calliditatis. Itaque mundana hæc prudentia inimicus est eo magis metuendus, & perniciosus, qui nobis sese exhibet tamquam Angelus lucis, vel sub luce, quæ extrinsecus tantum nitet, vel sub veræ sapientiæ persona. Si ex mundi sectatore quæro cur ad Salvatoris exemplum non parcis inimicis tuis? Cur cum hoc, vel illo in gratiam non redis? Cur in iras adeo pronus es, ut ad oculi nictum, ad cachinnum, ad flutum verbi præterreuntis, Deo succenseas? Reddet ille mihi statim: quid inquiet mundus? Qui bono corde est, nonne honoris sui incolumitatem servare tenetur? Ecce statim humana prudentia interjecta, quæ solis lumini offundit caliginem, egregium generositatis colorem assumens: Sed hæc non est nisi species inanis prudentiæ. Mundani erubescerent, si quis diceret; hic vir bonus est, bonus fidelis, homo Deum timens. Numquid huic parcæcitas inveniri potest in mundo; bona adesse ingenia, quæ virtutis pudeat, & quæ pati nequeunt, ut de se dicatur: hic bonus est Dei famulus? *Pater Antonius de Sancto Martino a Porta.*

Mundani calliditiores sunt, ut ad fines suos perveniant, quam Filii Dei.

Fatendum est, si homines cæci sunt in finium sudrum electione, oculatos esse in electione mediorum, quæ ad illos perducunt, & nequaquam alienas sequi vias ut cupiditatum suarum finem consequantur. Huic fortasse innixus fundamento dicit Dei Filius, filios tenebrarum sapientiores esse, quam filii lucis; non quod reapse velit prudentiam tenebrarum prudentiæ lucis præferre; sola enim qualitas filiorum lucis eos, qui tales sunt, adducit in veræ sapientiæ possessionem: sed quia sæpe usuvenit aliorum nequitiam callidiorem esse, quam aliorum virtutem; & in mundi sectatoribus, miseram eorum prudentiam magis esse perspicacem, attentionem magis vehementem, conatus etiam magis assiduos, & fervidiores. *Sermo tertius Accademiæ anni* 1675.

Exempla quæ ostendant quam falsa sit & fallax humana prudentia.

Scite Pharao cladem populi Israel fuerat molitus; verum non potuit unquam prævidere obicem, qui omnia illius eversurus erat consilia. Puer jussu suo flumini expositus clam in ædibus suis nutritus omnem Ægyptiorum potentiam evertit, & salvum fecit Israel. Abimelech cum septuaginta fratrum suorum cæde solium occupasset; mox eos jugulari qui ad eam cladem sibi opem præstiterant; sed non valuit ipse violentam evitare necem, lapidis ictu percussus a fœmina. Judæi contra Jesum Christum concilium habuerunt, cumque multa hinc inde asserrentur, dixerunt inter se: *Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; & venient Romani; & tollent locum nostrum & gentem.* Hoc pacto ratiocinantes decreverunt Jesum Christum occidendum esse, ut suæ civitati, ac genti prospicerent. Sed funestum istud consilium eos perdidit, in miseram ceciderunt servitutem, in qua non legem, non religionem, non cæremonias habebant. *Sanctus Basilius in quodam ex Sermonibus suis.*

Joan. 11.

Imago prudentiæ carnis.

Quam miseret videre curas, & labores, quibus se ipsos torquent filii Noe, ut nomen suum immortalitati consecrent, & ut sibi contra Domini iracundiam propugnaculum & in calamitatibus asylum ædificent! Naturalis imago prudentiæ carnis. Quæ insania est in brachio carnis, in suæ virtutis auctoritate, in amicorum, patronorumque suorum gratia, in thesauris, fortuna, industriaque confidere? *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Nisi Dominus nostra regit consilia, nisi ipse omnium finis, & auctor est, nisi Deus ipse nostram instituerit fortunam, omnes curæ conatusque nostri ad nihilum rediguntur. *Pater Croiset in Anno Christiano.*

Mundanorum dementia præcipue in eo posita est quod eligunt media prorsus contraria finis, quem sibi proponunt.

Ut Apostolus mundi hujus Sapientiam confundat, non vocat illam simpliciter ignorantiam, vel errorem, sed stultitiam in oculis Dei: *Stultitia est apud Deum.* Re ipsa sæculi Sapientia sibi venditat prævidentiam, & ratiocinationem, qua caret; & in hoc mira insania est: Etenim ullane gravior est insania, quam inire consilia prorsus fini sibi proposito adversantia? Mundi sapientes ad felicitatem adspirant non secus ac sapientes Evangelici, sed iis insistunt viis, quæ maxime a vera aberrant felicitate. Vera hominis felicitas in eo sita est, ut Deum agnoscat, amet, & hac in vita illi serviat; neque enim alioquin post mortem esse potest beatus. Quid autem insipientes hi? Sese jugiter omnibus ingurgitant voluptatibus; inhiant opibus, quæ sexcentas iisdem ingerunt curas; indefinenter vanos appetunt honores, quibus superbiunt, & supremi boni adspectum amittunt. Ardenter optare felicitatem, ea vero sectari, quæ ad miseram ducunt infelicitatem, tanta stultitia est, ut major nequeat excogitari. *Pater Segneri in Meditationibus.*

2. Cor. 3.

Dei consilia procul distant a consiliis hominum.

Quam longe a nostris Dei discrepant consilia! Quis lacrymis prosecutus non esset tristem Josephi casum? De illius sorte procul dubio metuendum erat. Puer Ismaelitis venditur; totum illius crimen est rectitudo, simplicitas, pietas, in carcerem conjicitur, quia suam tueri voluit innocentiam. Attamen ipse carcer, & ipsa captivitas gradus sunt, per quos ad solium evehitur. Humana prudentia hoccine iter arripuisses, ut Josephum ad primum Ægyptii imperii honorem eveheres? Rectam hanc viam nacta fuisses? Hæc erat tamen brevissima, & sola, quæ illum ad tantum magnitudinis fastigium, tantamque felicitatem promoveret. *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Mundi sapientia coram Deo stultitia est.

Conceptus, quem in ipsa etiam Christianæ religionis luce, sibi proponunt mortales, fallax est; nulla vera sapientia est præter eam, quam Jesus Christus in terris nos docuit. Quid autem homo ille Deus nobis præscripsit? ut paupertatem diligamus, cruces, contemptus. Dicerene auderes decipi Jesum Christum? Quomodo autem auditis mundum, quo jubemini amare divitias, voluptates, honores: *Filii Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est, in domum Patris cœlestis non admittemini.* Ibi sedes iis tantum posuit, qui regulas Divinæ hujus Sapientiæ sequerentur, quam mundi sapientes vocant stultitiam: *Stultus fiat, ut sit Sapiens. Pater Segneri in Meditationibus.*

Baruch. 3.

Prudentiæ regulas sequamur, sed in uno Deo confidamus. Prov. 3.

Spiritus Sanctus nobis usum prudentiæ non interdicit, cum jubet in Deo confidere; prohibet solum ne omnino in prudentia nostra confidamus: *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et sane Dominus æque temeritatem, & nimiam odit prudentiam. Altera eum tentat, ac nimis de illius auxiliis confidit; eum negligit altera, & nihil ejusdem subsidio debere videtur. *Estote prudentes, & vigilate in orationibus vestris*: hæc duo sejungenda non sunt. Temerarius, qui omnia fert committit, videtur vim inferre Deo, ut ad nutum suum prodigia operetur: sed vir prudens secundum Evangelium hinc quidem omnia disponit, ut effectum suum consequatur, inde vero invocat Dominum, a quo omnia se sperat consecuturum. *Idem ibidem.*

1. Petr. 4.

Oblectatur Deus sæculi prudentiam confundere.

Oblectatur Deus qui confidunt in Sapientia sua & apertissimis documentis ostendit omnem speciosam hanc prudentiam meram esse stultitiam. Fratres Joseph, Sanctus Gregorius magnus inquit, se putabant sapientes secundum affectus suos; qui fratrem vendendum esse censuerunt, ne inter ipsos assurgeret ea auctoritate, quam Deus in somnis illi portenderat; atque illum servum efficientes, totius Ægypti Dominum, atque Dominatorem fecerunt. Vendiderunt illum, ne potens fieret; ipse nisi venditus fuisset, potens fieri non potuisset. Ita juxta Sancti Pauli sensum Deus gessit confundere sapientes in fallaci, atque tenebricosa prudentia sua, utiturque iisdem conatibus, quos exerunt voluntatibus ejusdem adversaturi, tamquam aptissimis mediis ad eos velint, nolint excitandos. *Auctor Anonymus.*

Sæculi sapientia opposita est sapientiæ Jesu Christi; igitur sæculi sapientia falax est.

Quanta principorum diversitas, & oppositio! Mundus hominis felicitatem constituit in voluptate, honore, opulentia; & Jesus Christus palam affirmat beatos esse, qui lugent, qui pauperes sunt, qui persecutionem patiuntur. Quemadmodum fieri nequit, ut veritas utrobique inveniatur; facile est cum Sancto Bernardo ita argumentari: vel fallitur Jesus Christus, vel mundus errat; at Jesus Christus ipsa veritas est, æternaque sapientia; fallitur igitur mundus, & Salvatoris instituta æque certa, & extra omnem dubitationis aleam sunt posita, ac fidei nostræ mysteria. Omnem hujus argumentationis vim assequi, idem est ac auferre generale

nerale principium horridæ hujus contradictionis, quæ inter Evangelii placita, nostramque vivendi rationem intercedit. *P. Segneri in Meditationibus.*

Sapientia sæculi falso hominis felicitatem in voluptatibus diffitetur, & honoribus constituit.

Fallax sæculi Sapientia vocatur Sapientia terrena, carnalis, diabolica; terrena cum felicitas in terræ hujus opibus collocatur; carnalis, cum in voluptatibus carnis constituitur; diabolica cum in falsis honoribus luciferi exemplo, ambitiosorum antesignani ponitur. Igitur mundi Sapientia illusio est, spem quippe facit, nos beatitudinem nostram inventuros in bonis, quæ nos beatos nequaquam possunt efficere. Usus divitiarum a nobis faciendus est, nobis in nostris necessitatibus consulere: illæ media sunt, per quæ perveniamus ad extremum finem nostrum, & media etiam periculosissima. Nes igitur fallit Sapientia mundana, cum efficit, ut nimis sollicite inquiramus illas; nos etiam fallit, cum efficit ut nostram constituamus felicitatem in illis rebus, quæ corpus nostrum allicunt; hoc enim est velle felicem nosmet coarctando ad ea, quæ corporis pariunt felicitatem, neque attendendo ad ea, quæ unice animæ felicitatem constituunt. Neque honores vera sunt hominis bona, non enim constituunt meritum, cujus dumtaxat sunt notæ, immo etiam notæ maxime ambiguæ; quandoquidem in terris sæpe cum impio simul communes sunt, & bono. *P. Segneri in Meditationibus.*

Oratio ad Deum, ut Sapientiæ donum nobis concedat.

Quidnam est in oculis tuis, Domine, humana Sapientia? Amplitudinis cogitationes, ambitionis, ac politicæ ambages; hæc id genus omnia coram te insania sunt. Glorientur mundi sapientes magna agitare consilia; iisque callide exequendis vacent; eorum cæcitatem collacrymabor. Se miseros putant, cum post tot motus nihil ipsis benevertit; sed illos miseriores crederem si omnia ipsis fluerent e sententia; semper enim magis, magisque recedunt ab eo fine, quem illi sibi deberent proponere. Nequaquam, Domine, sapientiam non vocabo, nisi eam, quæ docet omnes meos conatus dirigere ad finem, propter quem creatus sum. Hanc in omnibus meis deliberationibus consulam; Hanc auro, pretiosisque lapillis anteferam. Sed ubinam gentium unum hanc veram sapientiam adeptum esse inveniam? Non habitat illa in corpore subdito peccatis; igitur opus est, ut ducam initium expiando cor meum, si volo hanc a Spiritu Sancto mihi communicari: & nonnisi per pœnitentiam illi dignam ipsa habitationem potero præparare. Hanc a te peto, Domine, certus enim sum hanc mihi constanter futuram vitæ meæ regulam: ne rejicias vota adeo justa, & sincera. Si obliviscerer consilii mei, neque eam consulerem; hodierna lice peto abs te, ut meo cum rubore perturbes, quidquid sine eadem me facturum decrevero. *P. Segneri. Tom. 5. Meditationum.*

Cum de virtute agitur, facile est errare, & malum pro bono desumere.

Quemadmodum in mundanis rebus falsa interest prudentia, quæ ignorat vel confundit vera bona, quæ init consilia sine ratione, eaque sine ullo fructu exequitur; & quæ ad gloriam, vel fortunam adeundam via insistit, quæ a proposito fine aberrat: adest etiam in iis, quæ ad salutem pertinent, sapientia cæca, quæ bonum cum malo confundit, quæ, ut inquit Propheta, tenebras pro lumine accipiunt, & viam, quæ ducit ad mortem pro illa, quæ ducit ad vitam. Infelix sapientia, & duplicitER decepta, & eo quod ignorat veritatem, quam credit cognoscere, & eo quod putat se veritatem sequi, quam deserit. Proculdubio Deus ut adeo deplorabili cæcitati mederetur per os Sapientis nos admonet, non deesse viam prorsus aberrantem, quæ videtur habere restitudinem angustarum semitarum, per quas justus incedit; quæ tamen adducit in tetercimum finem, quo viæ latæ, per quas impii decurrunt, solent adducere. Quinam æquior conceptus fingi potest periculi harum viarum, eo, quem nobis adstruit Salomon? Hæc via est, quæ tuta videtur esse; quam citra metum ingredimur, in qua sine sollicitudine immoramur. Et nihilominus viæ hujus finis ducit ad mortem. Quid igitur in adeo molesto situ faciendum est? Si progredimur in inevitabilem interitum ruimus; si indeemergere volumus, prohibemur vinculis eo validioribus, arctioribusque, quo videntur, non dicam equidem suaviora, & jucundiora; sed sanctiora, sacratiora, & manu ejusdem pietatis, & Religionis elaborata. Nonne igitur opus est prudentia satis bene illustrata, ad veram viam eligendam? *Sermo quartus Accademiæ anno* 1695.

Viæ, quæ in scelus adducunt, similes sunt illis quæ ducunt ad virtutem; Christiana opus est Sapientia, ne decipiamur.

Cundia immoderata vult pro justo zelo haberi, & timiditas pro humilitate. Quemadmodum ergo facile non esset a recto tramite declinare, & in falsæ pietatis statum incidere, quandoquidem hæc adeo prope veram pietatem imitatur? Et profecto quot hodierna die sunt asserti spiritales, qui rectam viam sequi videntur, quamvis ab eadem procul aberrent? Amor proprius, qui eos in omnibus suis operibus deducit, hos eos usque seducit, ut illis persuadeat ipsos juxta æquissima principia operari, eorumque opera justa esse. Secreta hæc voluptas, quam ex laudibus percipiunt; amor hic, quo vitæ hujus commoda consectantur; incomposita hæc ubique præsidendi, & omnia ad sensus suos redigendi cupiditas; denique obiectationes, quas subinde percipiunt ab actionibus suis, illis damnandæ nequaquam videntur. Si illos loquentes audias, nihil eorum prudentia admirabilius est. Cum laudantur, Deus laudatur in illis. Si laborem fugiunt, & ea ipsis negotium facessunt, id agunt, ut sine ulla distractione, & exceptione se devoveant Deo. Cum nimium sollicite sunt ne egestate premantur; hæc est pro futuro tempore sollicitudo, quæ potest haberi, quin fiat Providentiæ contumelia. Cum gradus præeminentiam, ac auctoritatem videntur appetere, propter proximi utilitatem agunt; cumque sua ob jactantiam bona recensent opera; hæc peculiaris est meditatio earum gratiarum, quæ ipsis Deo sunt agendæ. *Sermo tertius Accademiæ anni* 1695.

PUR-

PURGATORIUM.

Pœnæ, quæ ibi perferuntur; charitas erga defunctos; preces pro mortuis; & quidquid ad hoc pertinet argumentum.

MONITUM.

Aud operosum erit copiam invenire, quæ hic titulus complectur. Multitudo librorum de Purgatorio argentium, & sermonum in hoc argumentum elaboratorum præter ipsius argumenti magnitudinem satis latum aperiunt campum concionatoris quidem eloquentiæ, auditorum vero doctrinæ. Auctores complures integra edidere hujus argumenti volumina, & concionatores quidam octavas ejusdem edidere. Id igitur unum inquirendum erit, ut concionis idoneæ eligatur partitio, & ea supellex, quæ singula rite exornentur.

Animadvertendum tantummodo occurrit, sub hoc titulo nos complecti & pœnas, quas anima a corporibus suis separata in Purgatorio patiuntur, & preces pro mortuis fundendas, ut excitemur fidelium charitatem ad opem illis ferendam, ne satis sibi esse putent sterili miseratione duci, neque sibi persuasum esse de veritate cruciatuum, quibus anima in eo tristi loco torquentur, quin eas discant rationes, quibus ipsi hæc eadem tormenta valeant evitare.

Ne quid nimis proferatur hoc in argumento, quod per se satis patheticum est, & ad charitatis, atque misericordiæ sensus ciendos satis appositum, semper distinguenda sunt ea, quæ de fide sunt, ab iis, quæ innituntur Doctorum sententiis tantum, vel communi fidelium credulitati, vel revelationibus, aut apparitionibus, quæ ab auctoribus fide dignis afferuntur.

Sin autem probanda assumitur Purgatorii veritas contra Hæreticos, vel sancta praxis pro mortuis exorandi, ostendendum est, cujus ponderis sit auctoritas traditionis ab immemorabili, & patrum, qui primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, sententia; probandumque, libros Machabæorum authentico esse, & pro Scripturæ sancta habitos; atque ostendendum eos locos, qui ex novo Testamento afferuntur, a primis Ecclesiæ Doctoribus de Purgatorio intellectos, explicatosque fuisse.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Structuræ.

I. PUrgatorium proprie locus est, ubi justitiæ simul, & misericordiæ Dei affinitas quædam habetur: *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi; justitia, & pax obsculatæ sunt.* Videlicet divinæ justitiæ severitas apparet in magnitudine tormentorum, quibus in altera vita punit anima in horribili eo carcere clausas, ut, quod illi debent, persolvant: hoc primum est hujus concionis punctum. Alterum est, ibi etiam Dei misericordiam magis enitescere, quia viventibus facultatem, & adminicula tribuit applicandi meritum mortis, & passionum suarum, ut illius satisfaciant justitiæ, utque sanctas animas eruant de his obscuris carceribus per preces, opera bona, & suffragia, quæ hac mente offeruntur Deo.

Punctum primum. Dei sanctitas procul dubio inter illius attributa maxime terribile simul est, & maxime amabile; quoniam ne levissimam quidem pati potest maculam, quin illi, qui eadem polluti sunt, necessitatem infligat eam vel aquis pœnitentiæ eluendi, vel in altera vita purgatorii flammis expiandi: ad hunc quippe effectum maximam justitiæ suæ severitatem exercet, ne quid pollutum ingrediatur in cœlum, ubique infinitæ puritatis fruatur adspectu. Quamobrem affirmo, purgatorium proprie theatrum esse, ubi divina justitia cum gravissima prodit severitate. Nam quamvis interni supplicia infinite graviora sint, ac magis terribilia; attamen non admodum mirum est, quod Deus extremum suæ justitiæ rigorem exerceat contra apertos hostes, ac rebelles, qui bonitatis ejus illecebris sese dedere noluerunt; quod autem extrema utatur severitate adversus animas purgatorii, quod in illas rigide animadvertat, quin aliquid justitiæ suæ jure remittere velit, hoc mirum est, efficitque, ut cum Apostolo dicam, horribile esse incidere in manus Dei viventis, postquam eum lenire negleximus, eique in hoc mundo, qui misericordiæ ipsius regnum est, satisfacere, & maluimus expectare in altero, qui est regnum justitiæ. Porro tria peculiariter extremam hanc severitatem ostendunt, 1. Qualitas harum animarum, quæ sunt subjectum, in quo supremus Judex suam exercet justitiam. Hæ sunt sponsæ illius, quibus nihil magis pretiosum habet in mundo; quas unice diligit, & quibus gloriæ thronos, æternamque destinat felicitatem. Hæ sunt hæredes cœli, ad quod jus habent acquisitum, quatenus filiæ; cæterum crimine vacuæ sunt, vel si quæ crimina commiserunt, hæc illis dimissa, & condonata fuerunt. Magnis virtutibus ornatæ sunt; in bonis operibus sese exercuerunt; insignes de affectibus suis victorias reportarunt; de proximis, deque Ecclesia perquam bene meritæ fuerunt; pro Dei gloria laborarunt; & nihilominus tamquam nocentes puniuntur, arctantur, in tristi loco concluſæ tenentur, & longe gravius multantur, quam in scelestissimum quemque humana justitia animadvertere consueverit. Quæ severitas, qui rigor! 2. Hic ostendenda est magnitudo pœnarum, quibus divina justitia illas damnavit: privatio Dei ad tempus; quæ pœna damni vocatur. Quem dolorem illis adfert hæc longinquitas & supremi sui boni privatio! hinc pœna sensus, cujus in instrumentum est ignis, qui incomprehensibile adfert tormentum, ac denique utriusque supplicii duratio. 3. Causæ, propter quas adeo horribilibus torquentur cruciatibus; videlicet ob expianda levia crimina, venialia peccata jam quoad culpam dimissa, defectus, quibus sanctissimus quisque vix vacuus fuit. Puncti hujus conclusio est magnum peccati horrorem concipere, extremam adhibere vigilantiam in minimis etiam noxis evitandis, curam expiandi illas potius per pœnitentiam in hac vita, quam in altera, ubi tota divinæ justitiæ severitate punientur.

Punctum alterum. Dixi, si divina justitia in purgatorio omnem suam exercet severitatem, misericordiam ibi non minus enitescere; & quamquam vulgo dicant, alteram vitam esse tempus nocentium justitiæ, & supplicio destinatum, tamen Deus admirabilem ibi facit hujus misericordiæ, & justitiæ consensum per auxilium quod sanctis hisce animabus procurat fidelibus facultatem, ac modum præbens illis solatium afferendi, immo etiam illas ab his cruciatibus liberandi, vel saltem eorum diuturnitatem breviorem efficiendi. 1. Hoc probandum est Bibliorum auctoritate, Patrum consensu, & universali, & immemorabili Ecclesiæ totius praxi. 2. Explicandum est, quam facile illis opem ferre valeamus, & quibus rebus; precibus, jejuniis, eleemosynis, ad quæ alia opera bona omnia referuntur, & qua ratione non multo labore earum debita dissolvere valeamus per indulgentias &c. 3. Hæc apparet misericordia ex officiis, quæ illis a fidelibus præstari jubet. Deus officiis charitatis erga omnes mortuos, officiis justitiæ erga consanguineos, & eos, qui propter nos patiuntur, officiis gratitudinis &c.

1. Rationes, propter quas animabus purgatorii solatium afferre tenemur. 2. Media, per quæ illud afferre & possumus, & debemus. II.

Quod pertinet ad rationes, hæ ad tres præcipuas redigi possunt. 1. Ibi agitur de Dei gloria, qui nonnisi invitus infestissimos punit hostes, quid igitur erit, ubi brachium illius continebimus, quod ille per justitiam suam exonerare tenetur super sanctas animas, quas unice diligit; ita eas precibus nostris, atque suffragiis e lustralibus flammis eripientes, studiis illius favemus, gloriam ejus procuramus, deque ipso perquam optime meremur; 2. Ratio altera est miserarum harum animarum utilitas, quæ maximo flagrant desiderio videndi Deum, qui supremum eorum bonum est, & desiderium hoc violentum, dilatum, retardatumque illis inexplicabile tormentum infligit: præterea pœna sensus torquentur, quam illis violentus infert ignis incomprehensibili dolore omnem illorum penetrans substantiam. Triplici porro ex causa illis solatium afferre tenemur pro triplici affinitatis nexu, quæ ipsis nobiscum intercedit. Prima est naturæ; parentes sunt, fratres, cognati, Pater ille flammis uritur, donec ingratus, inhumanusque filius voluptatibus vacat: *Dum superbit impius, incendatur pauper* &c. Psalm. 10. Affinitas altera est amicitiæ. Quinam dicere possimus sanctæ amicitiæ leges a nobis servari, cum illius, vel illorum obliviscimur, quibus illam juravimus? Tertia denique religionis est; adest enim inter militantem, & purgantem Ecclesiam quædam communicatio. 3. Ratio tertia ex nostra desumitur utilitate, Deus enim nobiscum aget, quomodo ipsi cum aliis egerimus, ac permittet nos oblivioni tradi, ac derelinqui, si fratrum nostrorum in terribili eo statu fuerimus obliti, eosque deseruerimus &c.

Quod spectat ad media, quæ suppetunt nobis, opem ferendi animabus, quæ in purgatorio torquentur, atque illis aliquod procurandi solatium inter eas pœnas, quibus uruntur, hæc ad tria potissimum rediguntur, quæ reliqua continent. Videlicet: 1. Missæ sacrificium, quod hac mente vel offertur, vel offerri jubetur: sacrificium, quod cum ex parte ad hunc finem institutum sit, mirificam obtinet virtutem. 2. Preces, jejunia, eleemosynæ, & omnia opera pœnalia, quæ, cum sint satisfactoria, offerri possunt pro solatio earum animarum, quæ patiuntur. 3. Indulgentiæ, quæ illis applicari possunt, & quas adeo facile possumus lucrari.

III. *Sancta, & salubris est cogitatio exorare pro mortuis.* 2. Machab. 12. Sancta est: 1. Fluit enim ex principio sancto, nempe charitate, quæ efficit, ut has sanctas animas consideremus tamquam amicos Dei, qui illum aliquando glorificabunt, qui fructum percipere possunt ex orationibus, & suffragiis, quæ effundimus pro illis, qui extrema necessitate laborant, & nihilominus sibimet opem ferre non possunt &c. 2. Salubris est sanctis illis animabus, quippe eas pœnis liberat, vel saltem illis affert solatium &c. 3. Utilius est viventibus, quia eorum auget merita, ac totidem ipsis in cœlo patronos conciliat, quot ex purgatorii flammis liberat, ac tandem illos in hanc adducit spem fore, ut Deus cum illis eadem ratione utatur, qua illi cum aliis fuerint usi.

IV. De rationibus, quibus impellimur ad opem sanctis hisce animabus ferendam, easque precibus nostris levandas. 1. Miserationis causa; incredibiles patiuntur pœnas: licet ignoti nobis essent, alieni, vel etiam inimicissimi, nos eorum misericordia duceremur, si illos videremus humiliatos, omni malorum genere obrutos, & illis opem ferre possemus: sed fratres sunt, amici, nostri fideles, agnati, nonne igitur vicem eorum dolere debemus? 2. Justitiæ causa: illi sunt, qui de nobis perquam optime fuerunt meriti, patres, matresque, qui nobis vitam dedere, qui nos aluerunt, & instituerunt: amici, qui operam suam nobis præstiterunt, cum maxime egeremus illorum auctoritate: nunc autem ipsis ope nostra indigentibus hanc citra turpem injustitiæ notam possumus renuere? Charitatis seu erga Deum, seu erga proximum causa: dicere licet ex omnibus charitatis actionibus, quas erga fratres nostros possumus exercere, hanc maximam esse, utilissimam, Deoque acceptissimam.

V. 1. Nemo unquam magis Dei gloriam procurat, quam procurando liberationem animarum purgatorii, & earum beatitudinem accelerando. 2. Nemo unquam utilius propriæ consulit gloriæ, & saluti, quia sibi conciliat amicos, atque patronos, qui par pari referre conabuntur.

VI. De magnitudine pœnarum purgatorii; tria nobis illas præbent cognoscendas, simulque nos jubent misereri sanctarum animarum, quæ illis torquentur, atque omne illud adhibere solatium, quod possumus, malis, quæ sustinent. 1. Quod purgatorii pœnæ toto cœlo vitæ hujus superant pœnas. 2. Quod diutius vigent, quandoquidem sententia communis est, non deesse, quæ plura sæcula in horrenti eo carcere permanent, & patiuntur. 3. Quod animæ, quæ adeo gravibus pœnis excruciantur, impares sunt, quæ sibimetipsis opitulentur.

VII. Miseratio, qua afficimur erga miseros, ex tribus ut plurimum rebus desumitur, quæ in animabus purgatorii locum habent. 1. Ex merito patientis: quodnam vero sanctarum animarum sit meritum non latet. 2. Ex magnitudine malorum, quæ illas pati videmus. Heu quænam sunt purgatori tormenta? 3. Ex affinitate; quam miser nobiscum potest habere: at qui in purgatorio patiuntur, sunt amici nostri, consanguinei, fratres &c.

1. Tria Deum cogunt severe in has sanctas purgatorii animas animadvertere; illius videlicet sanctitas, quæ pati non potest aliquid pollutum ingredi in cœlum; justitia ejus, quæ exigit ut læso numini ad extremum usque quadrantem satis fiat; amor ejus, qui similitudinem flagitat, & qui reformat, quidquid illis deest, per has flammas, quæ extremam animabus addunt perfectionem. 2. Tria nos vicissim cogunt, ut, illis laborantibus feramus opem; amor videlicet, quo Deum prosequimur, cui nihil acceptius facere possumus, quam amicis ipsius opem ferendo, & eos quodammodo ex justitiæ ejus manibus eripiendo, pro illis satisfacientes; justitia, & gratitudo propter ea bona, quæ ab illis, dum viverent, cumulati fuimus; & demum amor, quem debemus Jesu Christo, qui sibi factum putat, quidquid boni fratribus nostris facimus. VIII.

Spiritui persuasum esse debet, adesse purgatorium. Fides, ratio, populorum omnium consensus, & patrum omnium sæculorum auctoritas id nobis persuadent. 2. Sed cor excitari debet ad miserationem, ut per Ecclesiæ suffragia solatium afferat pœnis extremis, quæ illic perferuntur. IX.

In christiana religione triplex hominum genus invenio, qui varias ob causas nihilum conferunt ad animarum purgatorii solatium. Primi illi sunt, qui eas pati non credunt; secundi, qui id credentes non moventur; tertii, qui & credunt, & moventur, sed non utuntur legitimis, & efficacibus mediis ad solatium illis afferendum. In primo genere complector hæreticos, & quosdam flagitiosos homines, qui nefaria obstinatione purgatorii veritatem rejiciunt. In altero duros quosdam, sensuque carentes catholicos, qui purgatorii veritatem confitentes non afficiuntur ea miseratione, & zelo, quo procuranda est libertas animarum, quas Dei justitia ibi detinet in captivitate. In tertio tandem ingentem Christianorum numerum, qui se hanc fidem, & hunc zelum habere gloriantur, sed qui noxia negligentia non procurant illis auxilium, quod expectant. Pro triplici hac personarum varietate sermonem partiri volo. X.

1. Contra primos devotionis hujus veritatem probabo. 2. Contra secundos pro virili devotionis hujus fervorem excitabo. 3. Contra tertios ejusdem devotionis usum, & praxim dirigam. *Sermo P. Bourdaloue hujus argumenti.*

De iis, qui desunt charitatis officiis erga defunctos. XI.

1. Alii nullum exercent charitatis actum erga mortuos; ostendendum est, quam duri sint isti, sine sensu, sine gratitudine, sine miseratione. 2. Alii misericordiam habent, & charitatem inordinatam, satis est illis effundere lacrymas, dolorem testari, in gemitus, & ejulatus erumpere, &c. 3. Alii denique charitatem habent ambitiosam, quam funebri pompa, magnificis elogiis, superbisque ostentant Mausolæis, &c. *Ex eodem in tertia parte sermonis præcedentis, quæ esse potest integra concionis argumentum.*

1. Orare pro defunctis maximus est charitatis actus, quem erga proximum exercere valeamus. 2. Ex omnibus charitatis actibus facillime exerceri potest, propter diversas rationes, quibus; hoc facere possumus, quin multum detrimenti patiamur, & quin amittamus meritum omnium bonorum operum, quæ hac mente possumus offerre Deo. XII.

1. Fides jubet nos credere, esse purgatorium; hoc in priori parte ostendemus. 2. Charitas nos jubet opem ferre animabus, quæ ibi a divina justitia retinentur. *Auctor sermonum in omnia Ethica christiana argumenta sermone primo octava mortuorum.* XIII.

Magnitudo pœnarum purgatorii in ea verba; *Miseremini mei, quia manus Domini tetigit me*, Job 19. XIV.

1. Dei manus repellit sanctas animas, atque ad aliquod tempus removet a conspectu suo. 2. Aggravatur super illas, & gravissima sensu pœna, igne videlicet, eas torquet. 3. Sese super easdem extendit, ut earum proferat supplicia, donec divinæ justitiæ prorsus satisfecerint. *Sermo secundus octava ejusdem.*

1. Qui negligunt animabus subvenire in adeo urgenti necessitate, metuendi causam habent, ne & ipsi vicissim negligantur, & ne diu acerbissimis purgatorii pœnis torqueantur. Nemo majorem habere potest spem evitandi aliquando pœnas easdem, vel ab illis quam citius liberandi, quam qui operam transmiserint ad illos liberaturi. *Idem sermone tertio.* XV.

1. Ostendere præstantiam hujus charitatis præ aliis, quæ erga proximum exercere possunt. 2. Ostendere quodnam est meritum, & utilitas, quæ ex adeo sublimi charitate nobis cedunt. *Idem sermone 4.* XVI.

XVII. De Missæ sacrificio pro mortuis oblato.

1. Altaris sacrificium est expiatorium habens virtutem satisfaciendi justitiæ divinæ, cum pro mortuis offertur. 2. Quomodo applicandum sit. *Idem sermone septimo.*

XVIII. De indulgentiis pro mortuis: *Beati misericordes.* Matth. 5. 1. Beati, qui hunc misericordiæ actum exercuerint, qui in hoc positus est, ut sanctæ illæ animæ fruantur fructu meritorum Salvatoris, quia nequeunt Deo aliquid acceptius facere, & quod minori stet ipsis impendio. 2. Beati secundo, quia merentur, ut Deus illis eamdem procuret indulgentiam, quæ reciproce supremæ beatitudinis ipsorum perfruitionem accelerabit. *Idem sermone sexto.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus librum edidit, cui titulus: *De cura pro mortuis*, ubi ostendit orationem pro mortuis esse traditionem ab universa Ecclesia receptam.

Idem sermonem edidit *de igne purgatorii*, ubi docet, quinam purgandi erunt hoc igne, & quam gravis, atque intolerabilis erit hic ignis.

Idem *serm.* 32. *de verbis Apostoli* docet extra omnem dubitationem positum esse, quod Ecclesiæ preces, salutare sacrificium, & eleemosynæ, quæ pro defunctorum animabus erogantur, illis solatio sunt.

Idem *in Enchirid. cap.* 109. docet orationem hanc salutarem esse illis, qui dum viverent, meriti sunt ejusdem fructum post mortem percipere; hoc est, qui bene vixerunt, sed qui levia aliqua habent crimina explanda.

Idem *in Psalm.* 37. docet, quænam sit magnitudo pœnarum purgatorii, & hoc ipsum ostendit in libro *de vera, & falsa pœnitentia.*

Idem *serm.* 42. *de Sanctis* habet aliquid satis vehemens in hoc argumento, & addit nullum esse tormentum, quod cum illo valeat comparari, quod ibi perfertur.

Idem *lib.* 21. *de Civit. Dei*, ubi sæpe loquitur de purgatorio, cap. 16. docet infantes statim, vel paulo post baptismum mortuos, cum rationis usu destituti sint, & peccare nequeant, nequaquam purgatorii pœnas perferre.

Idem cap. 3. libri ejusdem loquitur de temporalibus pœnis, quibus homines in hac, & in altera vita puniuntur.

Idem libro 50. homiliarum homil. 16. sub finem docet rigorem ignis purgatorii parem fore multitudini, & gravitati peccatorum.

S. Gregorius explicans hæc verba Psalm. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, repræsentat magnitudinem cruciatuum purgatorii.

Idem lib. 4. Dialogorum cap. 39. 40. 41. Scripturarum auctoritate probat esse purgatorium, & animas inde liberari posse precibus viventium.

S. Athanasius *quæst.* 34. docet animas purgatorii solatium recipere ex precibus, quas fideles pro illis effundunt in cœtibus suis, & ex bonis operibus, quæ exercent.

S. Chrysostomus passim, sed præsertim in homil. 40. in primam ad Corinthios eamdem ostendit veritatem.

Auctor Epistolæ, quæ Sancto Cypriano adscribitur, & inter opera illius invenitur, ostendit eadem esse inferni, & purgatorii tormenta.

Auctor, qui sub Sancti Cyrilli nomine edidit Epistolam in forma Elogii S. Hieronymi, quæ invenitur inter opera hujus Patris tom. 9. ostendit gravitatem supplicium, quæ in eo tristi loco perferuntur.

Origenes Homilia 8. in Levitcum loquitur de igne purgatorii, ubi lignum, paleæ, & fænum, hoc est opera aliquem habentia defectum, & levia peccata, juxta Apostoli locutionem, ardebunt.

S. Dionysius *lib. de Eccles. Hierarch. cap.* 7. loquitur de orationibus pro defunctis, & aliquibus cæremoniis, quas primi fideles in exequiis suis adhibere consueverant.

S. Chrysostomus *homil.* 30. *in Epist. ad Philipp.* docet consuetudinem pro mortuis orandi in Missæ sacrificio esse traditionem apostolicam.

S. Hieronymus *Epist.* 26. *ad Pammachium* eum laudat propter eleemosynas, quas erogavit pro requie animæ conjugis suæ; cum Ethnicis satis fit consanguineorum suorum tumulos vario florum genere adspergere.

Venerabilis Beda *in cap.* 4. *ad Thessalonicenses* loquitur de purgatorio, deque officiis, quæ defunctis præstanda sunt.

S. Cyrillus Hierosolymitanus *Mystic.* 5. docet, quam utiles sint defunctis orationes, quæ effunduntur pro illis.

S. Anselmus *in Elucid.* docet minimam purgatorii pœnam majorem esse maxima, quæ in hoc mundo ferri possit.

Sanctus Bernardus, *de quinque regionibus* tres locos assignat, quo animæ a corporibus secretæ mittuntur; paradisum videlicet, purgatorium, & infernum.

Consulto omisso ingentem Sanctorum Patrum, veterumque auctorum numerum, quos nimis longum esset referre, & qui tanta auctoritatis non sunt in Ecclesia, ac illi, quos memoravimus.

Bellarminus præter tractatum de purgatorio in primo tomo controversiarum, de hoc loquitur etiam tomo tertio Opusculorum *de Gemitu Columbæ cap.* 19. Alii tici aliique.

Cajetanus *in Opusc. tom.* 1. *opusc.* 23.

Lucas Pinellus *tract. de altera vita.*

Petrus Canisius *in opere Catechistico quæst.* 9.

Jacobus Hautinus in libro, cui titulus: *Patrocinium defunctorum*, continet tres partes. Prima agit de veritate purgatorii, de magnitudine, & diuturnitate pœnarum, quæ ibi sustinentur; altera de rationibus, propter quas illis solatium afferre debemus, qui illis addicti sunt; ac tertia de mediis illis opem ferendi.

P. Monford Anglus latine edidit tractatum eximum de charitate erga mortuos.

P. Dionysius Auger duos edidit tomos ejusdem argumenti; quorum prior continet causas, propter quas animarum in purgatorio degentium misereri debemus.

P. Binet plures ante hanc diem annos ejusdem argumenti librum edidit.

P. Antonius de S. Martino a Porta, e Carmelitarum familia, in libro, qui inscribitur: *Les conduites de la grace, &c.*

Tractatus de effectibus peccati venialis, quod purgatorii pœnas meretur.

Raynerius de Pisis, verbo *Purgatorium*, theologice tractat, quidquid ad hoc pertinet argumentum.

P. Maucorps sermone 13. de perfectionibus Dei juxta Lessii mentem.

P. Ludovicus a Ponte in mysteriis fidei parte prima meditatione 26.

Dionysius Carthusianus *de Novissim. lib.* 2. *a cap.* 14. *usque ad* 34.

P. Guillelmus Stanihurstus, *de Novissimis.*

P. Nicolaus Lancicius. *Opusc.* 6. *cap.* 10. & 11.

Jodocus Andries *tract. de purgat.*

Laurentius Kepplerus de subsidio animarum.

Pædagogus Christianus.

P. Novet in recessu præparationis ad mortem, meditatione fecunda pro die quinta.

P. Nepveu in tomo 4. Christianarum Considerationum.

P. Catillon in Adventu. Concionatores nuperi, qui edidere sermones hujus argumenti.

P. Bourdalove in sermonibus.

Biroat in tertio tomo panegyricorum.

P. de la Rue de oratione pro mortuis, tom. 3. sermonum.

Lambert in anno Evangelico, sermone pro die mortuorum tomo 7.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ christianæ argumenta parte tertia, tomo 4. mysteriorum integram habet octavam de charitate erga fideles, qui decesserunt.

P. Bertet Capuccinus, & ipse octavam edidit hujus argumenti volumine separato.

P. Constantius, religiosus recollectus aliam habet cum octava Assumptionis B. V. conjunctam.

Specimen sermonum pro Quadragesima pro feria 5. hebdomadæ quartæ. Primum, alterumque argumentum sunt pro mortuis, & aliud etiam in specimine pro Adventu.

Qui hujus argumenti collectanea ediderint non alios reperio præter Granatensem, & Lohner.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Job. 19.

Ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum. Idem, cap. 31.

Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tua adversaris mihi. Idem, cap. 30.

Mirabiliter me crucias. Idem, cap. 10.

Dum superbit impius, incenditur pauper. Psalm. 10.

In requie mortui requiescere fac memoriam ejus, & consolare illum in exitu spiritus sui. Eccli. 38.

In

In sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu. Zach. 9.

Spes, quæ differtur, affligit animam. Proverb. 13.

Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. 2. Machab. 12.

Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. Matth. 5.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Idem, ibidem.

Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. Idem, cap. 12.

Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Idem, cap. 25.

Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Marc. 4.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Luc. 16.

Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit . . . . . Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 1. ad Corinth. 3.

Mementote vinctorum. Ad Hebr. 13.

His, qui in carcere erant, spiritus veniens prædicavit. 1. Petri cap. 3.

Non intrabit in eam (nempe in cœlum) aliquid coinquinatum. Apoc. 21.

Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Psalm. 65.

Exempla, vel figuræ eorum, quæ ad animas purgatorii pertinent ex Veteri, Novoque Testamento decerpta.

Exemplum Judæ Machabæi, qui oraciones pro mortuis instituit. IN secundo Machabæorum libro legimus, insignem Judam Machabæum collatione facta misisse duodecim mille drachmas argenti Jerosolymam, ut Domino piacularia offerrentur sacrificia pro illis, qui pugnantes in prælio ceciderant. Id narrat Scriptura non simpliciter tantum, quin illud probet, sed eum celebrat, & commendat dicens; *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Ex hac autem historia inferendum est, non solum Judam Machabæum credidisse purgatorium, sed hanc generalem fuisse omnium Judæorum fidem; quandoquidem unanimi consensu tantam argenti vim contulerunt, ut offerrentur sacrificia pro militibus, qui in acie occubuerant, atque per illa eorum peccata remitterentur. Cæterum, qui melius nosse poterat consuetudinem, & praxim veræ religionis, quæ tunc erat Judaica, quam Judas Machabæus summus Sacerdos, & Pontifex, magnus superstitionis inimicus, & primus divinæ legis zelator? Exemplum hoc adeo bene expressum sufficere debet, ut ostendatur, hunc morem fuisse, atque religionis articulum apud Judæos, non secus ac hodie est.

Quid fecerit summus Pontifex Aaron ad Dei iram lenendam. Summus Pontifex Aaron videns Deum irritatum contra populum suum de terræ visceribus eliciuisse ignem devorantem, quo jam ultra quatuordecim capitum millia fuerant absumpta, misericordia ductus accurrit in medium populi, quem ignis adhuc absumere pergebat, obtulitque Deo thus, & sacrificium, mediusque stans mortuos inter, ac vivos, preces effudit pro populo, & plaga desiit: *Obtulit thymiama, & stans inter mortuos, ac viventes pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.* Num. 6. En o Sacerdotes Domini, quo zelo, & miseratione acti esse debetis, fidei lumine videntes innumeram multitudinem animarum inter purgatorii flammas ardentium, & non sacrificia, non sacerdotes, non aram habentium, ut offerant Deo hanc propitiationis, & expiationis hostiam, quæ illius lenit iracundiam: vestrum, quibus Salvator contulit characterem offerendi hoc sacrificium pro vivis, atque defunctis, vestrum, inquam, est, imitari magni illius Pontificis factum ob finem imponendum plagæ, quæ purgatorii animas affligit, & flammas, quibus misere vorantur, extinguendas.

Deus prohibuit Moysi, ne pro populo oraret: hic autem e contra libet pro animabus purgatorii preces effundi. Moysi preces effundenti pro populo, quem Deus illi regendum commiserat, Dominus inquit: *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* Hic vero prorsus oppositum accidit; vult enim, nos precibus laborare pro animabus illis, quæ sibi charissimæ sunt, & partem populi sui constituunt. Placet illi, nos justitiæ ipsius preces, eleemosynas, & sacrificia pro illarum libertate offerre. Quid fieret, si modo aperiret nobis Deus magnam hanc scænam, tragicumque purgatorii spectaculum, ita ut auribus nostris accederent clamores, & ejulatus, quos animæ illæ de carceris sui sinu indefinenter emittunt? Vos proculdubio caperet miseratio, vos, qui siccis oculis videre non possetis chirurgi dexteram novacula ad crus amputandum misero cuipiam armatam, vos, qui miserum ad crucem trahi videre non possetis, quin præ horrore infrenderetis: eheu! si has animas inter supplicia sua versari videretis, numquid minus misericordia afficeremini? Numquid earum tormenta leviora, & pœnæ magis ferendæ viderentur? Heu! quænam sunt animæ istæ? numquid illas ignoratis? &c.

Ingratitudo Pincernæ Pharaonis, qui oblitus est Josephi. Ferrine potest ille Pharaonis minister, cujus ingrati animi vitium quadragesimo Geneseos capite nobis exhibetur? Fuerat ille in vinculis, & carcere cum Joseph; ab hoc certissimum acceperat vaticinium futurum, ut quamprimum liberaretur, & cum Pharaone rediret in gratiam; atque in mercedem Joseph illum poposcerat tantum, ut recordaretur sui, cum coram rege ministraret illius benevolentiam iterum adeptus: *Tantum memento mei.* Hoc unum a te expesto, dixit ille pincernæ, ut officio tuo redditus coram Pharaone mei miserearis, & coneris illi suadere, ut me ex hoc carcere educat, quo crudelitas, atque injustitia me redegerunt; *Ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere.* Genes. 40. Ingratus hic servus vix ex compedibus egressus, & cum Pharaone reversus in gratiam novo prosperitatis suæ fulgore deceptus obliviscitur statim beneficiorum, quæ recens acceperat. Libertatis dulcedo in eo delet memoriam ejus, cui eamdem debebat, & Joseph benefactor illius, cui ingrati animi signum celerem promiserat liberationem, languet adhuc duos integros annos in carcere. *Et tamen succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* En imago tua, o Christiane; teipsum agnoscis? Heu! toties patri tuo dixisti, te numquam obliturum illius; toties illi dixisti, nihil tibi antiquius fore salute illius; ille tibi adeo tenere commendaverat, ut æs alienum a se constatum dissolveres, ut quamprimum postremam suam voluntatem exequereris, ut requiem animæ suæ quam diligenter curares. Fili mi, nunc tibi extremum vale dico; tibi bona mea, & cor lego: *tantum memento mei*, fili mi, *cum bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni, & educat me de isto carcere.* Hoc unum a te peto, ut inter vitæ delicias, quibus post me es perfruiturus, *cum bene tibi fuerit*, non obliviscaris, quid tibi sim; neque mihi deneges, quod mortalium novissimo debes: *& facias mecum misericordiam*; ut precibus tuis placatum mihi præbeas supremum judicem æternitatis meæ, ne magnus hic Deus diutius in hujus carceris squalore me detineat; *ut educat me de carcere isto, &c.*

Animabus in purgatorio patientibus idem ferme accidit, quod eidem Joseph ferenti prandium fratribus suis pecora ducentibus in agro. Sumpserunt illi quidem panem, & vinum, quod illis obtulit, postmodum vero ingrati beneficio contumelias rependentes illum tunica exuerunt, & in arentem cisternam demiserunt. Illic adolescens conclusus orabat fratres, ut ipsum de hoc carcere educerent absque eo, quod fletus, lacrymæque flectere possent cor eorum, & in illis naturæ sensus excitare. Hæc actio Prophetæ Amos adeo inhumana visa est, ut mala imprecatus fuerit fratribus, qui omnem humanitatis sensum abjecerant, qui obsonantes, & comedentes ea, quæ sibi frater attulerat, obstruebant aures precibus ejus, quin doloribus illius afficerentur: *Bibebant vinum in phialis & nihil patiebantur sub contritione Joseph.* Hæc est hypotiposis eorum, quæ accidunt in purgatorio degentibus. Frustra, ut Joseph, quæruntur, frustra fratrum, amicorumque opem implorant; homines questibus eorum aures obstruunt, & malis ipsorum minime afficiuntur; sed filii eorum adierint uberem hæreditatem, seu labore manuum suarum, & faciei sudore vescantur, illos tamen in eo carcere languescere, & inter flammas comburi sinunt.

Ingratitudo fratrum Joseph non est ed nequior ingratitudine eorum, qui consanguineorum clamoribus non moventur.

Joseph exutus erat vestibus suis, in veteri cisterna conclusus erat; & interim fratres illius libertine super caput ejus comedebant, & lætabantur: *Et sedentes manducabant.* Genes. 37. In hoc autem crudeli facto illud acerbissimum est, quod iidem illi fratres auctores erant, & causa calamitatis illius. Ipsi exspoliaverant illum, ipsi illum in hoc obscuro carcere concluserant, & nihilominus, ut crudelitati accederet cumulus, super caput illius lætabantur. Tristes animæ, quæ experimini crudelem captivitatem, ad quam vos redegerunt fratres vestri, heu! si hi numquam vobis fuissent consanguinei, fortasse non essetis in ea miseria, in qua estis. Illi sunt causa peccatorum vestrorum, cur non erunt etiam pœnarum vestrarum? Interim commessantur, & obliguriunt ea bona, quæ illis vos reliquistis, & in sudore frontis vestræ illa estis adepti. Nonne igitur, o crudeles consanguinei, inevitabilis vos urget necessitas, ut misereamini status eorum, & conemini illis præbere Deum propitium, & misericordem? Nar-

Alia allusio ad Josephi infelicitatem, & fratrum ejus ingratitudinem.

Quid fecisse fit tribus pueris in fornace Babylonis.

Narrat sacra Scriptura, Nabuchodonosor ingenti stupore fuisse perculsum, cum vidit ea in fornace, in quam suo jussu succensam tres pueros conjecerat, eo quod statuam ipsius adorare noluerant, quartum apparere similem filio Dei: ubi Sanctus Bonaventura inquit, Jesum Christum pari cum animabus patientibus, iisdem involvi flammis, socium esse pœnarum earumdem, cumque ipse earum caput sit, illæ vero ipsius membra, in partem accedere omnium passionum, & affici doloribus omnibus, quibus illæ afficiuntur. Sed per alium rationem sublimiorem, & ex S. Paulo Apostolo desumptam, Jesum Christum pati in harum animarum persona, ac esse quodammodo in statu violento propter beatitudinis earum dilationem, & gloriæ retardationem. Debemus igitur respicere Jesum Christum in persona fratrum nostrorum captivorum in flammis illis, & de servitute eripere eum, qui nos a morte liberavit. Nonne ergo debemus iisdem oculis respicere has animas, quæ extremis torquentur suppliciis in purgatorio; quonism Jesus Christus residet in illis, & tamquam sanctis, & tamquam pauperibus, & tamquam patientibus?

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Deus in purgatorio in anima perficit suæ sanctitatis imaginem.

Ego celabo sculpturam ejus, & auferam iniquitatem illius. Zachar. 3. Deus per Zachariam dicit, se extremam admoturum esse manum imagini, quam sculpsit, atque ita emundaturum illam ab iniquitatibus ejus. Ut hæc verba applicentur animæ in purgatorio patienti, animadvertendum est, animam in hac vita rudi, ut ajunt, minerva cælatam fuisse per pœnitentiam, quæ deleverat culpam, & partem pœnæ peccatis illius debitam; sed quamism hæc nondum omnino expiata fuerant per fructus dignos pœnitentiæ; dixit Deus, opus est, ut iterum cælum adhibeam hanc perfecturus imaginem, eique extrema similitudinis meæ lineamenta impressurus; *Ego celabo sculpturam ejus;* quasi peritus sculptor, qui marmoream statuam, quam primum quidem informem cælaverat, & ad unguem iterum expolit. Divinæ sanctitatis rudi forma delineamus tantummodo imaginem perfecte in nobis exprimendam, sed imperfectiones nostras funditus non convellimus, neque pœnitentiæ cælum ad ipsas usque radices immittimus. Eheu! Deus iterum manum admovet huic operi neglecto, & imperfecto, donec animam hanc perfectam efficiat suæ sanctitatis imaginem.

Præterfus oblivisciminur animarum defunctorum.

Oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde. Psal. 30. Cardinalis Cajetanus ait, mortuos a corde eos esse, qui sunt in purgatorio: *Qui vivunt in chartis, vivunt in ore, vivunt in sepulchris, sed mortui sunt in corde.* Nam quamvis vivant in chartis, & libris, qui eorum meminerunt, in ore illorum, qui de ipsis loquuntur, & in cippi sepulchralis epitaphio, quod est vitæ eorum compendium, mortui sunt in corde filiorum, consanguineorum, amicorumque suorum, qui oblivisciuntur promissionum, quibus se illis post obitum opem laturos receperant: quamobrem animæ istæ jure per os Regii Prophetæ conqueruntur, se oblivioni datas esse tamquam mortuos, de quibus non cogitatur amplius; ita ut nemo eorum infortunii amplius misereatur. *Oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde*; hoc est se mortuas esse in cordibus viventium, a quibus derelictæ sunt: *Et non dicerunt, qui præteribant, benedictio Domini super vos.* Psalm. 128. Cognati, & affines, qui sæpe per cœmeteria pertransiunt, super eorum ambulant sepulchra, quin cœlestem ipsis benedictionem precentur.

Leges amicitiæ nos cogunt amicis defunctis subvenire.

Omni tempore diligit, qui amicus est. Proverb. 17. Hoc est: adversitas, absentia, & mors numquam debent imminuere benevolentiam amici erga amicum; unde inferendum est, nostram erga defunctos amicitiam triumphare debere de morte, ac vivere etiam post obitum eorum, ideoque nos gratitudinis, & justitiæ legibus teneri, ut eis subveniamus.... Quod si tenemur succurrere fratribus, & amicis egestate laborantibus, quanto magis tenemur opem ferre ipsis in purgatorio patientibus, ubi in extrema sunt necessitate, & ubi ipsi sibi opitulari non possunt? Ardent in flammis vorantibus, quas ipsi nequeunt extinguere; vincti sunt catenis, quas perfringere nequeunt; incomprehensibilia patiuntur tormenta, quibus seipsos nequeunt liberare.

Fac tibi amicos de mammona iniquitatis.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Luc. 16. Consilium hoc tradidit olim mundi Salvator; comparate vobis amicos, qui, cum diem extremum obieritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Divites amicitiam defunctorum acquirite, pro illis eleemosynas erogantes; pauperes illorum amicitiam redimite precibus, & suffragiis. Vos, quicumque estis, cujuscumque status, & conditionis, offerte pro illis pœnas, labores, & omnia opera bona, ad quæ vestræ vos obligat conditionis officium. Illi fient vobis totidem amici, & patroni, qui jugiter in cœlo pro vestra salute Deum misericordiæ sollicitabunt: totidem oratores, qui causam vestram perorabunt; verbo, totidem amici, qui causam vestram suscipientes pro libertate vestra laborabunt in grati animi argumentum ob inæstimabile beneficium, quod a vobis receperint. Credent illi sibi & favorem, & vim omnem esse impendendam in gratiam eorum, qui sibi precibus, & suffragiis fuerint opitulati.

In purgatorio nobiscum id fiet, quod ipsi aliis fecerimus.

Serve nequam, nonne oportuit & te misereri conservi tui? Matth. 18. Ita Deus aliquando exprobravit eos, qui misereri non sunt fratrum suorum opem illorum implorantium misero in statu, in quem redacti sunt. Eo pacto, quo cum illis egistis, vobis agetur aliquando, si ita felices eritis, ut ex eorum numero sitis, qui in gratia Domini moriuntur, & quibus temporalibus dumtaxat pœnis expianda sunt peccata, quæ commiserunt. Nihil vobis remittetur eorum, quæ divinæ justitiæ debetis, atque severissime in vos animadvertetur. Heu! hec ratio nonne satis valida est, ut corda excitet nostra ad miserationem erga animas purgatorii? A nobis respiciendæ sunt tamquam in eo statu, in quo & ipsi futuri sumus, atque earum ignes, & flammæ considerandæ sunt tamquam nobismetipsis præparatæ. Tunc vellemus, alios nostri misereri, ab aliis divinæ satisfieri justitiæ pro pœnis, quæ criminibus nostris debentur: foveamus in antecessum hos eosdem sensus erga afflictas animas; ad id nostra nos impellit utilitas: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7. Si habueritis charitatem erga illas, suscitabit Deus eos, qui erga vos charitatem habebunt.

Sanctæ illæ animæ opem nostram implorant, ut pro illis spondeamus.

Vim patior, responde pro me. Hoc nos sanctæ illæ animæ orant. In crudeli hoc carcere violento dolore torqueor; responde pro me, & mihi te vadem præsta. Frustra ad Deum coniugiunt. Hic illas non audit, renuitque applicare ipsis mortis, sanguinisque sui merita. Quomodo, inquiunt, hic homo Deus cautio mea sit, quandoquidem ipse me retinet in hoc carcere, & ille jubet me pati? *Quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?* Quomodo ille erit meus, quoniam est creditor meus? Se igitur terram versus & convertunt animæ istæ, & ad unumquemque nostrum coniugiunt oratoræ, ut pro illis respondeamus. Creditor hic scit, vos solvendo non esse; attamen non rejiciet sponsionem vestram, quippe non deest vobis bonorum operum vestrorum thesaurus, quæ illius adjuvante gratia semper facere potestis. Captivis obæratis aliquam afferre potestis opem, haurientes ex fonte inexhausto meritorum, & satisfactionum Jesu Christi.

Pœna, qui his animabus infert Dei ultiratio.

Mutatus es mihi in crudelem, inquit S. Job cap. 30. Videtis, Deus, mihi in crudelem mutatus; tuus sum, te unum cupio, te sentio in anima mea, & te non video, neque possideo. Esse simul, & separatum esse, sperare, cupere, anhelare, amare, nec obtinere posse, quod amatur, ac se ab illo, qui amatur, exagitatum videri, & non cessare, quominus ames, & patiaris: Ferrea corda! non quæro a vobis, quid de hoc supplicio sentiatis: *Da amantem, & sentit, quod dico.* Da cor, quod Deum suum diligat, & judicabit, cum exulum fidelium dolor adeo efficax sit, & ab amore adeo tenero, & vehementi productus, nihil aptius esse ad hominum misericordiam ciendam, nihilque melius opem eorum mereri posse.

Ipsi quodammodo subvenit Salvator, qui afflictis animabus opitulatur.

Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Matth. 25. Dei filius hominum novissimum respicit tamquam unum ex fratribus suis, ideoque liberare hunc hominem flammis purgatorii est æque de illo bene mereri, ac si ipse liberaretur, eique cœlum aperiretur. Hoc in sensu, postquam Moyses eduxit populum Dei de servitute Ægypti, Scriptura inquit, ab eo de captivitate eductum fuisse Deum ipsum cum populo suo: *Redemisti ex Ægypto gentem, & Deum ejus.* 2. Reg. 7. Cur ergo fideli charitatis refertissimo, ac laboranti, ut patientes animas liberet, non dicemus: *Redemisti gentem, & Deum ejus?* Tu redemptor es Redemptoris tui, & Salvatoris tui salvator; illum liberasti.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Tot nobis in cœlo amicos comparabimus quot animabus in purgatorio opem tulerimus.

Ille purgatorius ignis durior est quam quidquid in hoc sæculo pœnarum possit videri, sentiri, aut cogitari. August. Serm. 41. de Sanctis.

Hic ignis, etsi non sit æternus, miro tamen modo gravis est; est; superat enim omnem pœnam, quam homo unquam passus est in hac vita, vel pati potest. Idem, Serm. de igne purgatorio.

Salvus erit, sed quasi per ignem. Salvus erit: Salvus erit. *Contemnitur ille ignis, ita plane, quamvis salvus per ignem. Gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid homo pati potest in hac vita.* Idem, in Psalm. 37.

Eodem igne palea comburitur, & aurum purgatur. Idem.

Illo transitorio igne, de quo ait Apostolus: Salvus erit, sic tamen quasi per ignem; *non capitalia, sed minuta peccata purgantur.* Idem, Sermone 41. de Sanctis.

Quanta fuerit peccati materia, tanta erit & pertranseundi per ignem purgatorium *mora. Quantum exegeris culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quadam flamma rationalis disciplina, & quantum stulta iniquitas suggessit, tantum sapiens pœna desavivet.* Idem, lib. de 50. Homil. Hom. 16.

Totis viribus unusquisque laboret, ut capitalia crimina possit evadere, & minuta peccata ita operibus bonis redimere, ut de ipsis nihil videatur remanere, quod ille ignis possit absumere. Idem, Serm. 41. de Sanctis.

Iniquitas omnis, parva magnave sit, puniatur necesse est aut ab ipso homine pœnitente, aut a Deo vindicante. Idem, in Psalm. 58.

Productior est pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Idem Tract. 124. in Joann.

Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi? Idem, lib. de Civit. cap. 10.

Adhærebunt spiritus licet incorporei cruciandi miris, & ineffabilibus modis, recipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Idem, ibidem.

Oro pro defunctis, ut cum fuerint in æterna gloria, orare pro me non negligant. Idem.

Etiamsi nusquam in Scripturis legeretur oblatum pro mortuis sacrificium, non parva tamen est universa Ecclesia, quæ in hac consuetudine claret, authoritas. Idem, lib. de cura mortuorum, cap. 2.

In precibus Sacerdotis, quæ ad altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Idem, ibidem.

Quia illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti æstimo intolerabiliorem, non solum in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptione purgari. Gregorius, in Psalm. 3. Pœnitent.

Scio futurum esse, ut post vitæ hujus exitum aliqui flammis expientur purgatoriis. Idem, in exposit. ejusdem Psalm.

Donec vivunt homines, possunt fieri justi, post mortem nulla datur boni operibus occasio. Hieronymus, in cap. 9. Eccles.

Cum dicit (Apostolus:) Salvus fiet, sic tamen quasi per ignem; *ostendit salvum quidem illum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus salvus fiat, & non sicut perfidi, æterno igne in perpetuum torquentur.* Ambros. in 1. ad Corinth.

Orationes pro defunctis annua die facimus. Tertull. de corona militis.

Defunctorum animæ pietate vivorum relevantur. Augustinus, lib. octo. Quæst. Quæst. 2.

Mortuis oportet succurrere, non lacrymis, sed precibus, eleemosynis, & oblationibus. Chrysost. Homil. 40. in 1. ad Corinth.

Hoc a primis Christi discipulis traditum. Gregorius Nyssenus.

Si omnes, quæ in mundo cogitari possunt, pœnæ, tormenta, afflictiones, minori, quæ in purgatorio habetur, pœnæ comparentur, velut solatio erunt. Cyrillus Hierosolymit. vel alius in Epistol. ad Augustinum.

Nihil inter se differunt tormenta infernalia ab iis, quæ sunt in purgatorio, quia eadem sunt magnitudine, sed unum est, quo differre possunt, quia infernales finem non expectant, & purgatorii pœnæ sunt cum fine. Idem, ibidem.

O tormenta misericordiæ! Cruciat (Deus) & amat. S. Leo.

Scitote, quia post hanc vitam in purgatoriis locis, centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, reddentur usque ad novissimum quadrantem. Bernardus, de obitu Umberti.

Quidquid nunc parvi pendimus, heu! quanto illic cruciatu vindex flamma comburet! Idem, de eo quod legitur Job: In sex tribulationibus liberabit te.

Definimus quantum ad illos, qui vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari. Concil. Florentinum.

Idem ignis est, qui damnatos cruciat in inferno, & qui justos in purgatorio. Sanct. Thomas, in 4. distinct. 22. Quæst. 1.

Melius est hic peccata, & vitia resecare, quam in futuro reservare. Lib. 3. de imitat. Christi, cap. 24.

Si dixeris te non posse hic multa pati, quomodo tunc sustinebis ignem purgatorii? Idem, lib. 3. cap. 12.

Quidquid obtrectent hæretici, antiquissima est praxis Ecclesiæ, pro defunctis orare & offerre. August. lib. de hæres. hæresi 53.

Ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Chrysost. Homil. 69. ad popul. Antioch.

Non exibis ex hoc carcere, donec etiam minima peccata persolvas. Hieronym. in cap. 5. Matth.

Credimus orationibus sanctæ Ecclesiæ, sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, mortuos adjuvari. August. Serm. 33. de verbis Apostoli.

Credimus animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari. Concil. Trident. Sess. 25.

Innocentis hostiæ oblatio propitiatio est pro mortuis. (*Alias hostia incruenta.*) Gregorius.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu deprompi possit in hoc argumento.

Definitio purgatorii, & quid sit.

PUrgatorium, ex D. Thoma in suppl. quæst. 69. artic. 6. locus est, ubi, qui in statu gratiæ decedunt, debent ad tempus luere pœnas, quæ illis solvendæ superfunt, & quæ debitæ sunt peccatis eorum per contritionem, vel pœnitentiam quoad culpam, æternamque pœnam dimissis. Sanctus Augustinus in Enchirid. eamdem tradit definitionem, & iisdem ferme vocibus, cum ait hunc subterraneum esse locum, ubi animæ fidelium defunctorum, qui non ad extremum usque quadrantem satisfecere pro peccatis, quorum veniam consecuti sunt, divinæ justitiæ satisfactionem absolvunt. Credo definitionem hanc nulla explicatione indigere.

Quid nos hæc in re credere jubeat Ecclesia.

Esse in altera vita locum, & statum a Paradiso, & Inferno diversum, ubi animæ quædam ad tempus Dei aspectu privantur, & ubi patiuntur peccatorum reliquias expiatras; his animabus in hoc loco, statuque subvenire preces fidelium, qui modo in terris vivunt, vel qui cœlesti gloria fruuntur. Hæc ea sunt, quæ hoc in argumento nobis credenda proponit Ecclesia. Quod spectat ad modum, durationem, & locum pœnarum, hæc sunt potius studii nostri, quam fidei objecta, & scholasticarum disputationum argumenta. Verum quamvis absolute constitutum non sit tamquam fidei punctum in Ecclesia, quonam exteriorum cruciatuum genere damnatæ sint animæ fideles, nec quonam in loco post mortem patiantur, donec aliquid reliquum est, quod divinæ justitiæ persolvant; attamen certum est, maximam inter pœnas, quas patiuntur, esse ad tempus Dei conspectu privari, & cum Ecclesia, neenon communi Doctorum consensu creditur ignis esse omnium cruciatuum instrumentum; verum in hoc potissimum omnes consentiunt, quousque evadant vitæ hujus pœnæ, earum tamen severitatem ne longe quidem accedere ad eas, quæ perferuntur in purgatorio, quicumque tandem sit locus ille, ubi perferuntur.

Duplex pœnarum genus, quæ in purgatorio perferuntur.

Omnes consentiunt Theologi, in hoc loco, tristique Purgatorii carcere, fidelium animas duplici pœnarum genere torqueri, data paritate, quemadmodum reproborum animæ in inferno torquentur. Prima dicitur damni pœna, eaque consistit in privatione Dei ad tempus, cujus diuturnitas pendet ex multitudine, & gravitate peccatorum, quæ expianda supersunt. Pœna altera est pœna sensus, quam gignit ignis, vel aliud quodlibet supplicium a divina justitia determinatum. Quod pertinet ad dolorem, quem duplex hoc pœnarum genus parit, omnes ajunt Theologi, animas pati magis, quam omnes homines simul passi unquam fuerint, vel passuri sint, vel naturaliter pati possint, vel fingere possumus, eos pati posse. Hæc acerbissima est gradatio, est tamen S. Augustini ferme 41. de Sanctis: *Purgatorius ignis durior est, quam quidpotest in hoc sæculo pœnarum sentiri, videri, aut cogitari*, Creditis fortasse non deesse in verbis hyperbolem: nequaquam; in pœnis istis id supra naturam est, quod nostras cogitationes excedunt. Fatendum est tamen, omnes animas, quæ in tristi hoc loco versantur, non omnes æque pati, quemadmodum non

omnes æque debent justitiæ Dei: earum dolores imminui, ac levare precibus viventium; & quasdam etiam præter beatitudinis æternæ, ac divinæ visionis dilationem nulla sensus pœna torqueri.

De suffragiis pro mortuis. Opera nostra bona aliis prodesse non possunt ad illis obtinendum gloriæ statum per viam meri, & simplicis meriti, seu de congruo, seu de condigno. Quilibet enim singillatim ad gloriam per merita propria, non autem per acta aliena disponitur; sed bonum alicujus opus alteri utile, proficuumque esse potest per viam orationis ad obtinendum gratiæ statum, donec ille adhuc vivit in terris; hoc est, sanctum aliquem virum precibus, bonisque operibus suis posse, non mereri quidem, sed sanctis orationibus suis impetrare a Deo primam gratiam pro aliquo peccatore. Præterea quod extra omnem dubitationis aleam situm est, bonum opus obtinere potest pro aliis gratiæ additamenta per modum meriti, cujusmodi esse potest complementum satisfactionis, & pœnæ remissio; sed animabus purgatorii perutile est, earumque obtinet liberationem per modum suffragii.

Jure exprobrantur novissimorum temporum reformatores, quod abolere velint consuetudinem pro defunctis orandi: sed fatendum est decem ac tria, & amplius effluxisse sæcula inter primos hæreticos, qui hunc errorem severunt, & horum temporum novatores; & tantum abest, quod hujus erroris antiquitas assertis hisce reformatoribus ullam vim præbeat, quod immo illic falsæ doctrinæ suæ manifestam damnationem inveniunt. Quis enim ausus est Ecclesiæ tranquillitatem perturbare circa piam hanc consuetudinem, & legem hanc reformare? Fuit Aerius presbyter Armenus, professione Arianus hæreticus negans Jesu Christi divinitatem, & consubstantialitatem personarum in adorabili Trinitate; ideoque ex tunc ab Ecclesiæ sinu divulsus, a fidelium communione ejectus, & tamquam talis habitus a nostris etiam novatoribus, qui & ipsi Arianos tamquam hæreticos habent. Hic ille est, qui quarto sæculo orationem pro defunctis ausus est inter ea puncta rejicere, quæ reformanda esse censebat; cujus rei duo nobis adsunt testes irreprehensibiles Sancti Epiphanius, & Augustinus. In facto autem innegabili ita possumus argumentari. Fideles omnes nemine excepto servant hanc ab immemorabili consuetudinem pro defunctis orandi, eamque constantissime sentiunt praxin hanc tamquam sanctissimam esse habendam. Qui primus eam in dubium accersere est ausus, homo est iis disfluens erroribus, qui notorie publici sunt, Arianus hæreticus. Numquid ergo huic potius habenda fides est, quam toti ab Apostolis ad nos usque traditioni?

Purgatorii veritas Scripturæ auctoritate probatur. Cum urgentur Catholici, ut in Scripturis ostendant fundamentum, quod illis proferre non teneamur, atque eorum, qui illum in dubium vocant, sit probationem afferre, propter quam id negant; attamen tres proferimus locos, quos Sancti Patres, primique Doctores de purgatorio intellexerunt. Primus ille est, ubi Salvator Matthæi cap. 5. carcerem minitatur, quo conjiciendus est ære alieno obstrictus, qui creditori suo satisfacere neglexerit, illic permansurus, donec ad extremum usque quadrantem æs alienum dissolverit: *Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem*. Hinc post Tertullianum cap. 35. de Anim. Sanctum Cyprianum Epist. 52. Sanctum Hieronymum cap. 3. in Isai. Sanctum Eucherium homil. 2. in lib. Reg. infirmus extra vitam hanc esse carcerem, unde egredi non licet, nisi anima fuerit emundata, & satisfecerit divinæ justitiæ, cum qua, dum corpori hæreret, non rediit in gratiam. Locus alter est distinctio, quam facit Salvator cap. 12. S. Matthæi inter peccata, quæ remissa sunt, & ea, quæ numquam remittentur: *Non remitteretur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*. Unde post SS. Gregorium lib. 4. Dialog. Isidorum lib. 1. offic. Eccl. & Bernardum in Cantic. infertur, in hac vita esse debere satisfactionem pro peccatis, quæ in terris expiata non fuerint. Tertius locus est ignis, de quo loquitur S. Paulus cap. 3. Epistolæ primæ ad Corinthios. Hic ignis, per quem hominum opera expiabuntur, per quem opus imperfectum reformabitur, per quem homo patietur, quin absumatur: *Ipse salvus erit*, inquit Apostolus, *sic tamen quasi per ignem*. Unde post Origenem multis in locis, S. Hieronymum, S. Augustinum in Psal. 37. S. Paulinum, & Theodoretum infertur, ibi pœnam ignis sustineri. Cum hos locos afferimus, eosque de purgatorio interpretamur, Doctores hæretici nostram irrident inscitiam; sed cum illis ostendimus has interpretationes non esse marte nostro confictas, easque nobis traditas fuisse sexdecim, & septendecim ab hinc sæculis ab irreprehensibilibus doctoribus nulla habita partium ratione, cum minime prævidere potuerint dubitationes, quæ hoc in argumento poterant suboriri; & cum videmus e contra hæreticos, qui in tot magis necessariis religionis articulis erraverunt; utra pars est eligenda?

In secundo Machabæorum libro legimus, celebrem Judam Machabæum collatione facta duodecim mille drachmarum argenti, has misisse Jerosolymam, ut Domino placularia offerrentur sacrificia pro peccatis eorum, qui in scie cecidertant. Scriptura non approbat solum hoc factum, sed laudat, dicens hanc sanctam esse saluberrimamque consuetudinem orare pro mortuis. Hæretici negant audacter duos Machabæorum libros inter sacros habendos esse. Sed respondemus illos mille, ac trecentos ante diem hanc annos pro Canonicis habitos fuisse, de qua re explicitum habemus decretum tertii Carthaginensis Concilii, cui S. Augustinus interfuit, qui cum aliis Patribus huic decreto subscripsit; & quamquam auctores quidam ante Concilium istud dubitaverint, an hi libri vere essent Canonici, necne, constat illos deinceps a fidelibus omnibus acceptos fuisse.

Veteris testamenti testimonio purgatorii veritas probatur.

Docet nos S. Chrysostomus homil. 69. ad Pop. quænam fuerit hac in re Apostolorum sententia: *Ab Apostolis hæc sancita fuerant, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio*; sciebant enim hoc illis esse utilissimum. Ita loquitur magnus hic Doctor, qui declarat Apostolorum jussu pro defunctis preces effundi. Quod si apostolicæ traditionis testimonium quæritmus, ullumne certius optare possumus hoc, quod unius est ex discipulis eorumdem Apostolorum? . . . . . Hic est Sanctus Dionysius Areopagita, qui palam loquitur in libro de ecclesiastica Hierarchia, totumque septimum caput insumit narrans plurimas res a Deo institutas in eorum gratiam, qui christiane moriuntur. Ait, sacerdotem devotam effundere orationem pro defuncto; mox addit, hanc fieri orationem ad divinam exorandam misericordiam, ut defuncto condonare velit omnia, quæ per fragilitatem deliquerit.

Veritas purgatorii, & precum pro defunctis est traditionis Apostolicæ.

De hac veritate ambigere nefas est, post decretum tertii Carthaginensis Concilii can. 65. cui S. Augustinus subscripsit; & quod mox sexta Synodus confirmavit. Concilium hoc non declarat solum duos Machabæorum libros canonicos esse, prohibetque, ne sacra mysteria nisi a jejunis celebrentur; Si enim, ait, a prandio necesse erit commendare Deo animas mortuorum, hoc simplicibus precibus fiet. Ad hæc primum Nicænum Concilium hoc modo loquitur: Cum aliquis decesserit Episcopus, omnes Ecclesiæ, omniaque Diœceseos cœnobia certiora fiant, ut oretur pro eo.

Hæc eadem veritas consiliorum auctoritate probatur.

Quis non melius sanctas primævæ Ecclesiæ consuetudines docebit, quam tot Præsules, atque Doctores, non pietate minus, quam doctrina illustres, qui propriis usurparunt oculis ea, quæ viderunt? En quid dicat S. Augustinus lib. de cura pro mortuis: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed si numquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universa Ecclesia, qua in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus aliare offeruntur, locum suum habet etiam commendatio morituorum*. Ex Sancti Doctoris hujus verbis inferendum est, quod licet ille deceptus fuisset in iis, quæ de purgatorio ait, ut contendit Calvinus, quod falsissimum est, contendum nihilominus esset, certissimum est, quod de consuetudine pro defunctis orandi excepta ab Ecclesia. Quomodo enim fides habenda non est tanto Doctori palam adeo afferenti id; quod ævo suo in Ecclesiæ universalis more erat positum, & quod quotidie ob oculos habebat? Alia suppetunt etiam æque perspicua testimonia Sancti Athanasii, Sancti Basilii, Sancti Gregorii Nazianzeni, Sancti Cyrilli, Sancti Chrysostomi, Tertulliani, Sancti Cypriani, Sancti Ambrosii, Sancti Hieronymi, quæ a Bellarmino in tractatu de purgatorio referuntur.

Oratio pro defunctis consuetudo est ab omnibus nationibus, & religionibus accepta.

Si generalis omnium mundi populorum, qui aliquod numen colunt, sententia invictum est argumentum contra Atheos, qui nullum venerantur; hæc eadem non minus valida ratio est contra hæreticos, qui purgatorium negant, quæ communis est fides Ethnicorum, Turcarum, Judæorum, & omnium populorum quantumvis parum rationabilium, qui pro mortuis orandum esse contendunt. Adeo universalis consensus causa est, quia solum sufficit rationis lumen, ut tria hominum genera distinguantur in mundo. Primi ita pii, sanctique sunt, ut præmia tantummodo illos maneant; secundi ita pravi, impiique sunt, ut nonnisi supplicia mereantur; tertii medium tenent. Plurima quidem faciunt sancta, præmiisque digna; sed aliqua etiam mala, & digna temporali saltem supplicio: cum-

cumque sæpe in mundo nullam subire pœnam videantur, arguitur, illos in altera esse puniendos. Hæc est S. Augustini argumentatio *in Enchirid. cap.* 109.

Venialia peccata quæ non meremur pœnas æternas, probant pœnas temporales in purgatorio perferri.

Viri boni crebro venialia peccata committunt; hoc patet. Scriptura sacra ait plurima esse id genus crimina, & docet experientia, sanctissimum quemque in hac vita ab illis immunem non esse. Cæterum constat etiam, has noxas licet leves vel in hoc, vel in altero mundo esse puniendas; quandoquidem Salvator ipse ait Matth. 12. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*. Levia igitur peccata, nisi in hoc mundo fuerint expiata, in altero erunt punienda; & non in æternum; hoc enim liquet; & Dei misericordia nimis magna est, ut minime velit adeo severo persequi supplicio noxas adeo leves, a quibus ne sanctissimi quidem viri prorsus esse possunt alieni. Igitur temporali pœna in purgatorio puniendæ sunt.

Aliæ rationes desumptæ ex mortalibus peccatis, quo ad culpam dimissis.

Hæc enim valida ratio est ex Scripturis desumpta; quamvis omnia mortalia peccata, non secus ac venialia nobis remittantur, quotiescumque per sinceram pœnitentiam revertimus ad Deum, non sequi tamen una cum peccatis omnem debitam illis pœnam remitti: e contra ut plurimum magna eorum pars nobis superest expianda, & nisi illam in vita hac integram persolverimus, quod sæpius accidit, illi certissime post mortem in purgatorio satisfaciemus. Ita David justificatus pro dimisso crimine adhuc punitur, & pœnas illius est mors filii sui, quem unice diligebat, ut ad incolumitatem illius exorandam Deo preces effuderit, septem diebus jejunaverit, atque humi procubuerit, quin tamen aliquod divina justitia obtineret. Hæc omnia palam ostendunt consuevisse Deum aliquam exigere satisfactionem a peccatoribus, quibuscum reditin gratiam. At certum est, hos peccatores posse ex hac vita decedere, immo etiam sæpe ex viventium numero extumbari, antequam satisfecerint: illis igitur necessario in altera vita satisfaciendum est; non autem in inferno, quia criminum veniam consecuti sunt; igitur in purgatorio, qui carcer est, unde exitus non patet, nisi antea omne debitum prorsus fuerit dissolutum: *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*. Matth. 5.

Magnitudo pœnarum, quæ in purgatorio perferuntur.

Videmus, quid credendum sit de magnitudine pœnarum purgatorii secundum accuratioris Theologiæ principia, ex eo, quod scripsit D. Thomas in 4. distinct. 22. quæst. 1. Incomparabili huic Doctori satis non est afferere purgatorii pœnas omnibus vitæ hujus pœnis esse graviores: sed addit, ibi duo pœnarum genera sustineri, quarum altera sensus est, damni altera; & quidquid in utraque levissimum est, longe gravius esse iis malis, quæ in mundo nobis accidunt gravissima. Hoc docet S. Thomas, qui susus deinde quæst. 3. suam prædictam propositionem . . . Hæc denique satis communis est sententia inter eruditissimos Theologos, purgatorii tormenta pro eo tempore, quo permanent, nihilo mitiora esse tormentis interni. Veritatem hanc D. Thomas tuetur; ignis, ait ille, quo damnati in inferno, & justi in purgatorio torquentur, idem est. Quod non abfuit a sententiis Sanctorum Patrum a nobis allatis.

Eorum, quæ diximus, non deest ratio, quæ a Sancto Thoma loco citato num. 5. plurimi fit, & quam hoc modo explicat. Dolor non est vulnus, quod recipitur, sed hujus vulneris sensus; quo magis vividus nobis sensus est, eo majori dolore affici possumus. Quamobrem quidquid vulnerat partes magis delicatas, atque sensibiles, hoc majorem adfert dolorem; cum autem omnis sensus, qui est in corpore, migret in animam, hinc sequitur, quod si quid animam lædit, hoc illa ad vivum persentiat. Ignis autem purgatorii animam urit, ideoque eum illi dolorem infert, qui omnes corporis dolores excedit. Consideremus igitur primum purgatorii ignem, cum ejusdem naturæ sit, ac ignis inferni, nonnisi vehementissimum esse. Consideremus secundo, dolorem immediate in anima, & in spiritualibus facultatibus, sentiri multo magis, quam si perciperetur sensibus corporis, qui per se magis stupidi sunt, & obtusi.

Peccata venialia sever s mereretur puniri supplicis.

Dictis duas alias addo considerationes, quæ ostendunt, purgatorii pœnas extremas esse. Prima est, velle Deum, peccatorem per illas pro omnibus peccatis justitiæ suæ satisfacere; nam licet hæc peccata mortalia non sint, sunt nihilominus peccata, ideoque Dei infinite magni offensæ. At nulla est divinæ majestatis offensa non evitanda, licet de sexcentorum mundorum incolumitate, deque malis omnibus prohibendis ageretur; hoc enim supremum Ens, ita omnes res creatas excedit, ut neque mandata illius violare, neque observantiæ erga illum deesse ullo modo liceat, seu ut aliquo bono fruatur, seu ut ab aliquo liberetur malo quicumque mortalis. Hinc fit, levissimum Dei contemptum factum ab hominibus abjectis, atque terræ vermibus, qui data opera venialiter quolibet die, & qualibet hora peccant; hunc, inquam, contemptum, quamvis levem in speciem, expiari non posse, nisi supplicio, quod ordinis sit superioris illis omnibus, quæ mens suggerere potest. Hanc ignoret veritatem, ac nesciat, quid sit Deus, oportet ille, qui non intelligit terribilium harum pœnarum severitatem.

Altera consideratio, quæ probat extremam severitatem, qua utitur Deus erga justos flammis purgatorii damnatos, est momento, quo vitæ nostræ finis injicitur, finem quoque injici tempori gratiarum, & meriti, atque ita misericordia locum præbente judicis irritati justitiæ nihil præter supplicia esse expectandum. Cogitatio hæc illis est terribilis, qui ingentia norunt debita, quibus obruti sunt.

Duratio pœnarum purgatorii nobis extimescendas efficere debet.

Si terribiles purgatorii pœnæ quam primum deficerent, excusari quodammodo possent illi, qui has sicut oculis respiciunt: verum cum maxima sit earum diuturnitas, sunt prorsus inexcusabiles. Plurimorum, eorumque insignium Theologorum sententia est, has pœnas plurimos annos durare posse, immo etiam plura sæcula; quod innititur revelationibus dignis fide, quæ testantur aliquot animas damnatas esse, ut usque ad extremum judicii diem sævissimis pœnis illis torqueantur. Hæc opinio innititur etiam auctoritati aliquorum Sanctorum Patrum, veluti Sancti Cypriani: cui addi potest Ecclesiæ consuetudo ab immemorabili anniversaria celebrantis pro illis, qui ante id tempus centum, vel ducentum annis decesserunt, & adhuc perseverantis, quin aliquod umquam tempus precibus hujusmodi præscribat. Ratio, quæ adfertur, est, peccata nostra, quæ puniri merentur, mereri quoque diu puniri. Dicere etiam possumus futurum, ut pœnæ ejusmodi quantumvis graves modice ab hominibus mutuerentur, si animæ illæ, hoc elapso temporis spatio, statim ex purgatorio avolarent in cœlum. Et Deus, qui hominum perspectum habet ingenium, scit, se illorum producentem tormenta majorem illis justitiæ suæ terrorem incutere, quam si illa efficeret breviora, qua re minus metuenda fierent, minoremque vim ad homines in officio continendos haberent.

Illud etiam hoc in argumento notatu dignum est, hominem, qui toto vitæ suæ spatio unum dumtaxat, mortale peccatum commisisset, quamvis hoc per pœnitentiæ sacramentum remissum fuisset, graviorem, ac diutiorem in purgatorio pœnam mereri, quam alterum, qui innumera venialia peccata patrasset. Etenim si verum est, quemadmodum nefas est ambigere, peccatum mortale, antequam remittatur, æternam mereri pœnam, ideoque toto cœlo majorem ea, quam mereri potest innumera venialium peccatorum multitudo, penes vos esto judicium, utrum hoc unum mortale peccatum quamvis remissum debeat gravius puniri, quam multa venialia peccata, quæ eodem modo remissa fuissent.

Rationes, quæ nos impellere debet, ut animabus purgatorii feramus opes, & primis Dei amor.

Anima, quæ Deum ardenter amat, quæ ex toto corde illi servire vult, quæ omnibus in rebus eidem placere quærit, ob plures causas erga defunctos charitatem debet exercere. 1. Deus ita magnus, & perfectus est, ut mereatur ab hominibus tantum amari, & coli, quantum potest. Hinc anima ejus amore capta illius gloriam tantummodo procurare debet; inter cujus rei præstandæ modos oblivisci non debet validissimum, & quem manu semper habet, esse educere purgatorio animas, quæ illic gravissima patiuntur tormenta, & quæ, ubi cœlestem adeptæ fuerint gloriam, Deum glorificabunt magis, quam omnes homines efficere possint in terris, quia ibi palam videbunt Deum non secus ac alii Beati, quia illum amabunt ea dilectione, quæ digna sit hac visione, eumque illo glorificabunt modo, qui huic amori sit par. Itaque quicumque zelo fucensus est propter Dei gloriam, hæc in re illum eximie testari potest.

A Deo jam cumulati sumus, & quotidie infinitis bonis recenter cumulamur. Tenear igitur ob sexcentas causas, quidquid possum, conari, ut meam illi testatam faciam gratitudinem. Deus autem omne bonum, quod hominibus facimus, sibi factum putat, quemadmodum idem Salvator affirmat; possumne ergo validius habere argumentum, quo his animabus tenear opem ferre, quam videre, me hac re filio Dei rem adeo jucundam perficere, ac si illum ipsum de purgatorii pœnis liberarem? Nonne hoc est illi gratias meliori, quo possumus, modo referre, ea in re de eodem benemereri, qua nihil ipsi antiquius est, atque in

locum nostrum sanctas subragare animas, quæ illi pro nobis ob omnia beneficia gratias agant.

Deo nostra bona opera effoetus, pro animabus purgatorii nihil amittimus & plurimum lucramur.

Nihil ipsi amittimus, sed nostram potius in cœlo gloriam augemus, cum opera nostra bona pro purgatorii animabus offerimus: quod palam probatur ex certissimis Theologiæ principiis docentis, tres vulgo proprietates in quolibet opere bono inveniri. Prima est, hoc gradum gloriæ in cœlo mereri; secunda, impetratorium esse, ut Scholæ loquuntur, hoc est excitare Deum ad gratiam aliquam seu nobis, seu aliis, pro quibus illud offerimus, concedendam: tertia, satisfactorium esse, hoc est pro peccatis nostris divinæ justitiæ satisfacere. His positis quilibet facile videre potest, quo pacto offerantur bona opera Deo pro liberatione animarum purgatorii: neque enim offeruntur, quatenus sunt meritoria; videlicet non applicatur animabus patientibus bonorum operum meritum, quia merces illis in cœlo debita promissa iis tantum est, qui operantur illa; atque ita tota ad illos pertinet, quin alicui cedere eam, vel aliquem in partem ejus vocare possint. Nihil igitur amittitur meriti orationum, jejuniorum, eleemosynarum, cum ista pro fratrum animabus offeruntur. E contra meritum eorum augetur, charitas enim aliis accedens virtutibus, has magis commendat, & sublimiorem gloriæ gradum assequitur.

Cum omnes Theologi nequaquam consentiant, cedi posse impetrationem, quæ omnibus bonis operibus nostris inhæret, in gratiam animarum purgatorii: fi quæratur, quid sit applicare defunctis bonum opus, brevi respondeo, esse hoc ad illos transferre, quatenus est satisfactorium; vel ut clarius loquar, est illis cedere omnem satisfactionem, quæ fieri posset per hoc opus bonum pro peccatis nostris justitiæ Dei, & supremum exorare judicem, ut illam pro expiatione criminum earum animarum excipiat. Si ergo aliquid boni facio, meritum omne pro me est, omnis impetratio pro me, vel pro illis, quibus eam applicare volo: sed satisfactio non est pro me, neque pro homine vivente, sed pro mortuis, quibus illam integram cedo.

Orationes pro mortuis meritis recipiuntur, quam quæ pro viventibus fiunt.

Hæc propositio est D. Thomæ, *in supplem. quæst. 13. art. 5. ad 2.* cujus hanc adfert rationem, quia defuncti magis indigent hoc subsidio, cum ipsi per se, ut viventes, sibi opem ferre, & mereri nequeant, ut a Deo opem consequantur. Proculdubio propter hanc rationem preces, quæ pro mortuis effunduntur, Deo gratiores sunt, quam quæ pro viventibus fiunt. Quia eleemosyna, quæ erogatur pauperi in extrema necessitate posito, & victum sibi comparare non valenti, magis Domino placet, quam quæ bene valenti, atque robusto defertur. Alia etiam afferri potest ratio ex S. Dionysio de cœlest. Hierarch. cap. 7. desumpta, dicente preces, quæ pro viventibus offeruntur, non semper suum obtinere effectum, seu quod ea, quæ petuntur, noxia esse possunt, seu quod multitudo peccatorum illos indignos efficit, qui voti damnentur. Sed nil horum locum habet in precibus, quæ effunduntur pro defunctis. Etenim, ut S. Augustinus inquit, negare nemo potest, quominus sacrificia, & viventium eleemosynæ animabus defunctorum ferant opem, quia in vita hac meruerunt, quod hæc sibi utilia essent in altera: ubi Theologi nonnulli hanc afferunt modificationem, nempe, si preces istæ, & hæc opera bona non sunt utilia animabus, pro quibus offeruntur, prodesse tamen aliis, quibus illa applicare Domino visum fuerit. Sed numquam frustra oratur: si enim ille, pro quo oratur, in purgatorio non est, Deus preces applicat pro aliorum ope, ac deliberatione.

Qui efferunt preces suas Deo pro purgatorii animabus, non minus pro se obtinent gratiæ.

Neque illud prætermittendum est, quod animabus purgatorii cedentes hanc partem fructus operum nostrorum bonorum, quæ satisfactio est, nos tamen non ideo illis impetrationem tribuimus, atque ita semper nobis integrum est offerre illa mente obtinendi aliquod donum a Deo. Hæc eadem opera christianæ charitatis consilio peracta apud Dei bonitatem majorem vim obtinent; ita ut preces, & bona opera ita instituere valeamus; ut quin illa multiplicemus, nobis vel aliis id obtineamus, quod petimus, & simul aliquid conferamus sanctarum harum animarum solatio, & tranquillitati. Nihil facilius est, quam duo ista conjungere; etenim tandem omnium bonarum actionum hoc proprium est, ut simul seu pro nobis, seu pro alio quopiam obtinere possint a divina misericordia aliquam gratiam, atque satisfacere justitiæ illius pro peccatis seu nostris, seu aliorum, quibus jus nostrum cessimus; & tantum abest, quod per hoc aliquam subeamus jacturam, ut vix credibile sit, quam vim virtutemque precibus, bonisque operibus conferat ad id, quod petitur, ad obtinendum hæc, quæ erga animas illas exercetur misericordia.

Qui bona opera sua pro mortuis offert, non solum non efficit minus, sed multo plus, ut seipsum a debita suis criminibus eximat pœna, quam si illa non offerret, omnemque eorum fructum sibi reservaret; heroicus enim actus quem facimus hæc pro illis offerentes, & nosmet iisdem privantes, virtutem habet omnino pro nostris sceleribus satisfaciendi. Fructus omnis quem inde percipere possumus, est pro animabus illis, quibus eum cessimus; sed actus ipse, per quem cessimus, nobilis hic, & generosus actus pro nobis est, non pro illis, & continet quemdam satisfactionis modum longe perfectiorem, quam plurimi putent. Ratio altera: hic actus est præstantissimus, & meriti non communis; igitur satisfactio, quam secum gerit, uberrima est, quoniam merito par. Cum igitur justus per opera bona meretur gloriam, eamque non communi ratione meretur, se dignum præbet non solum novo gloriæ gradu, sed eo, qui aditum ad gloriam eidem aperire potest faciliorem: se igitur eximit a temporali pœna, ideoque divinæ satisfacit justitiæ. Ratio tertia: quo magis nosmet Deo præbemus acceptos sancta quapiam actione, eo magis reparamus injuriam eidem noxiis actionibus illatam. Hoc enim insignium actionum proprium est, non æternam dumtaxat mercedem mereri, sed obtinere integram præteritorum scelerum oblivionem, omnemque eorum memoriam delere. Quamobrem plurimi, iique insignes Doctores tradunt, in quolibet bono opere satisfactionem, & meritum semper esse paria; & huic inniti principio dicimus charitatem, quæ erga defunctorum animas exercetur, cum magni sit apud Deum meriti, maximam quoque habere vim pro satisfactione peccatorum, & remissione pœnæ; quæ in purgatorio perferenda est. Ratio quarta: inter actus, quos pro criminum satisfactione elicere possumus, princeps facile contritio est. Fieri autem potest perfectissimæ, acceptissimæque Deo contritionis species eo, qui sequitur, modo. Peccator cogitans per scelus suum infinitam majestatem læsam fuisse, & pro vili crimen suum reparare desiderans, consilium init liberandi plures, quam poterit, animas ex piacularibus flammis, ut inde expeditæ, atque beatæ, nomine ipsius, æternas Deo gratias agant. Quidquid propter Deum isthic facere possumus, nihil est, si conferatur cum hac sublimi, & prorsus divina ratione, qua Sancti illum in cœlo glorificant, & colunt. Hæc igitur admirabilis ratio est, qua divinæ justitiæ ad extremum usque quadrantem satisfacere valeamus.

Adminicula, quibus animabus purgatorii satisfacere possumus.

Primum illud, quod faciendum sit illis, qui inierunt consilium animabus purgatorii opem ferendi, conari est, e Dei gratia non excidere; qui enim in mortali crimine versatur; hic nihil efficere potest acceptum Deo, & quod divinæ satisfacere valeat justitiæ seu pro suis, seu pro alienis criminibus. Hoc posito vulgatiora suffragia sunt oratio, jejunium, & eleemosyna, de quibus nihil est, quod singillatim hoc in loco verba faciam. Dicam solum jejunii nomine omnia exteriorum mortificationum genera comprehendi; puta cilicia, vigilias, &c. ab aliquo solatio, ludo, spectaculis abstinere; in mensa sibi negare, quod magis sapit, & placet, injurias dimittere, &c. Eleemosyna, quæ conferri potest inter opera, quæ ad satisfaciendum justitiæ divinæ sunt aptissima, duplici ratione animarum earum solatio confert. Primum enim propria virtute confert; hæc enim aqua est ignem extinguens; secundo meritis eorum, quibus erogatur, & qui plerumque boni sunt, & ideo precibus obtinent, quod petunt a Deo; & si illi, qui eleemosynam elargiuntur, nihil merentur, quod in gratiæ statu non sunt, quibus confertur, cum mortali noxa vacant, a Deo obtinent harum animarum, quæ misere torquentur, solatium.

De indulgentiis pro defunctis.

Ratio peculiaris, & in paucis efficax ad opem ferendam animabus purgatorii est bonus usus indulgentiarum; de illis loquor, quas Jesu Christi Vicarius viventibus elargitur non sine facultate easdem pro defunctis applicandi. Hujusmodi Indulgentiæ mortuis applicabiles, cum ut eas lucremur, non alias efflagitent conditiones, quam quæ in acquirendis pro viventibus requiruntur: hujus loci non est earum vim, causam, & institutionem explicari.

De sacrificio Missæ pro Mortuis.

Satis liquet, adorabile Missæ sacrificium, cum pro viventibus, & mortuis æque institutum sit, ideo præsentissimum esse remedium, ut animæ purgantur Justrabilibus ignibus eripiantur. Itaque consuetudo illud ad hunc finem offerendi adeo communis est, ut ad eam probandam nullum sit opus Theologorum, vel Patrum auctoritate. Hoc unum admonere debemus, magnæ hujus actionis effectum non pendere ex bona, vel prava Sacerdotis illud offerentis dispositione; quamvis bona quidem

quidem dispositio distinctum, ac separatum meritum habeat, sed illud per se operari; ideoque certissime votorum summam obtinere, qui illud pro mortuis offert, vel offerri contendit.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

De purgatorii pœnis verba fieri apte non possunt, neque earti exprimi potest magnitudo.

SI ex veteris cujusdam auctoris animadversione magni dolores muti sunt, quia obruunt, ac stuporem immittunt, ut ita dicam, sensibus eorum, qui illos experiuntur: purgatorii dolores tanti sunt, ac tam ingentes, ut mutos illos efficiant, qui eosdem cogitare, ac de illis loqui velint. Hic nobis accidit, quod olim amicis Job, qui cum illo humi procubuere septem dies, totidemque noctes, quin ne verbum quidem proferre possent, quia dolorem illius modum omnem excedere intuebantur; status miser, ad quem illum redactum conspexerunt, eos mutos fecit, eisque tantum injecit terrorem, ut ne hiscere quidem valerent. Hoc ipsum præter propter de illis dicendum est, qui scrutari volunt magnitudinem pœnarum purgatorii; quemadmodum extremæ sunt, & incomprehensibiles in seipsis, ita etiam ineffabiles sunt; hæc abyssus est; hic est oceanus, in quo mens humana facit naufragium: *Magna est velut mare contritio tua*. Thr. 2. Liber, cui titul. *Octava Mortuor. a P. Bertes e Capuccinor. famil. in lucem edita*.

Amor hic omnes minuit pœnas: hic blandus est præstigiator, qui efficit, ut suave id videatur, quod amarum est, qui gravissimas quasdam pœnas leves facit, & qui diutissimum, atque molestissimum tempus tamquam brevissimum exhibet. Quin immo cæteras quascumque pœnas aufert, & si invenit cor ob aliam quamlibet causam dolore confectum, illius mœrorem lenit, & mirum in modum tristitiam coercet. Ita amor, quo Jacob Rachelem complectebatur, omnes illius labores mulcebat, atque eorum longitudinem efficiebat breviorem: *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*. Gen. 29. Et S. Augustin. lib. de bono viduit. 22. *Ubi amor est, non est labor, aut si labor est, labor amatur*. Attamen hoc lenimentum pœnarumævissimarum, hæc abbreviatio temporis molestissimi, qui sunt effectus amoris, in purgatorio suspenduntur; quia animæ illæ nequaquam proprie propter Dei amorem patiuntur, sed per amorem Dei; ita licet cum amore patiantur, amor hic tantum abest, quod eorum pœnam imminuat, ut sit pars, & immo maxima pars pœnæ ejusdem, quia carent sui amoris objecto. *Idem*.

Sanctitas animarum quæ in purgatorio patiuntur.

Nihil ad animos permovendos aptius est, quam videre innocentem pati; nil vero gloriosius, & jucundius, quam misero opem ferre. Animæ istæ sanctæ sunt, & innoxiæ, quia ab omni crimine sunt immunes, in gratia confirmatæ, ac certæ se illius numquam detrimentum passuras. Sanctæ sunt in omnibus actionibus suis, atque inter supplicia sua Deum laudibus celebrant. Adeo sanctæ sunt, ut earum plurimæ plus habeant gratiæ, & charitatis habitualis, quam plures ex iis, quæ cœlesti gloria fruuntur; adeo sanctæ, atque potentes, ut a Deo insignes gratias, & singularia obtineant beneficia pro illis, qui vivunt in terra. Non debemus igitur adeo sanctis, & beneficis animabus succurrere, easque de pœnis eruere? Quam beatum te duceres, si Laurentio in craticula posito, vel Paulo in itineribus laboranti tulisses opem? Invidemus felicitati, & gloriæ fidelium, qui ultimis Ecclesiæ sæculis floruerunt, & qui Martyres in carceribus positos invisere, eisque opem afferre gaudebant &c. *Idem*.

Deus audit libenter preces, quæ pro animabus purgatorii effunduntur.

Cum Deus perfecte diligat has animas, quarum pater est, frater, amicus, & sponsus, haud operosum erit flectere cor amore, ac benevolentia refertum; immo illi summam afferemus voluptatem pro iis laborantes. Verum est, ipsum justitiæ suæ ordine cogi, ut illas puniat: sed nihilominus non abjicit affectum amantissimi patris, qui eodem tempore, quo illas punit, cupit aliquem invenire obicem, quo prohibeatur, vel aliquem, qui suæ justæ quidem, sed beneficæ indignationi adversetur; immo ipse etiam irascitur, ubi neminem obsistentem inveniat. Hoc modo, & hoc animo efficit Deus, ut animæ illæ patiantur; justitia quidem sua in eas illum animadverte cogit, sed amor efficit simul, ut capiat, aliquem suæ obsistere iracundiæ: *Sic cruciat, quos amat*, S. Gregorius lib. 3. Moral. cap. 5.

Nonnisi per applicationem meritorum Salvatoris sanctis hisce animabus prodesse licet.

inquit. *Idem*.

Utique Salvator; nil possumus ipsi, ut patientibus animabus feramus opem, & fatemur, nos imbecillia esse dumtaxat liberationis earum instrumenta, & nonnisi per meritorum, atque satisfactionum tuarum applicationem nos aliquam illis opem posse conferre. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu*. Zach. 9. Tuus, o Domine, sanguis emollit compedes earum, catenas infringit, extinguit flammas, illas absterget, emundat, exornat, tuaque gloria dignas efficit. Per novissimam hanc applicationem illæ, ut olim Jesus Christus in cruce, exclamant: *Consummatum est*. Completa est redemptio nostra, salus nostra adimpleta est: vincula fracta sunt, contriti compedes, ignes extincti; simulque ex eo loco egressæ cœlum ingrediuntur. Nostrum dumtaxat est, o Fideles, illis eximiam hanc applicare medicinam, quam præparavit illis Salvator, & quam nobis in manibus pro earum curatione, & solatio reliquit: *Quis medebitur tui?* Thren. 2. Non inquit Propheta, quis mederi poterit? hoc enim omnes efficere possunt Christiani operibus bonis: eos tantum inquirit, qui hoc facere velint, & re ipsa faciant: *Quis medebitur tui?* . . . Non igitur nisi negligentiam, ac favitiam tuam incusare potest. Tu, o Fidelis immitis, causa es, propter quam animæ illæ torquentur; cum enim illis opem ferre valeas, non fers; tu crudelis Christiane es, qui tantum abes, quod illis tamquam propitius medicus opituleris, sis quodammodo carnifex earum. *Idem*.

Consolabimur has animas mœrore confectas, & oceano amaritudinis immersas efficiendo, ut sentiant fructus ejusdem calicis in Eucharistico sacrificio oblati; hic calix nonnisi solatium ipsis præbere potest. Ita donec justitia Dei offert illis indignationis suæ calicem, ut omnem illius exhauriant amaritudinem, offeramus irritato Deo calicem sanguinis filii ipsius, & divinum hunc liquorem amaræ huic potioni immisceamus, ad illius amaritudinem leniendam, levandamque tristitiam. *Idem*.

Quid omnes facere possint in sanctarum animarum solatium.

Peccatores, quos convertitis, jacturam facere possunt gratiæ, quam illis procuratis; sed animæ istæ nunquam ea excidunt gloria, qua in antecessum opera vestra perfruuntur. Peccatores possunt, immo & debent cooperari conversioni suæ, sed animæ purgatorii nil facere possunt, ut libertatem consequantur. Denique cum peccatorum conversioni adlaboramus, labores nostri sæpe inutiles sunt saluti eorum, nec possunt, nisi ut eorum in altera vita pœnas augeant, nisi ex nostris fructum perceperint. Deus enim propter fœdus illud, quod iniit cum ecclesia sua nobis relinquens administrandum, quibus illis opem ferre possemus, opera bona nostra excipit, & animæ illæ nostris suffragiis recreantur. *Idem*.

Desiderium, quo sanctæ animæ Deum videdi flagrat.

Quis intelligere posset ardorem votorum, qui illæ Deum videre, ac supremo bono suo perfrui concupiscunt? Tempus diuturnum est, & desideria violenta; objectum proximum est; videre semper sibi differri infinitum bonum, quod speratur; semper ardenter optare bonum, quod tandiu differtur, quin possideatur; quodnam suppliciis genus, Auditores! Hoc illud est, quod anima suffert in purgatorio. Longa boni hujus mora, magna hujus boni, quod sperat, nec possidet, propinquitas, tres sunt causæ doloris ejus. *Idem serm.* 3.

Quam gravis sit animabus illis suæ felicitatis dilatio.

Eheu! quam diuturnum illud videtur tempus, quo non solum infinitum bonum, sed extremi mali spera-tur liberatio! Quam longi sunt dies, quam molesta momenta, cum transiguntur in privatione earum rerum, in quibus omne gaudium nostrum positum erat, & omnis gloria nostra, & in positivis, ac sensibilibus pœnis, quibus excruciamur! Quamobrem dicere possumus, quemadmodum voluptas tempus efficit brevius, ita dolorem illud producere, ideoque duplicem quodammodo temporis dari mensuram; alteram extra nos, quæ ex syderum motu, alteram intra nos, quæ ex affectuum nostrorum motu desumitur . . . . Animæ beatæ æternitatem tanquam momentum putant: *Mille anni ante oculos tuos*, Domine, *tanquam dies externæ, quæ præteriit*; & animæ purgatorii ipsa momenta æternitatem putant, quia neutræ tempus nostrum, sed suum metiuntur. *Idem*.

Ex quo anima in purgatorium ingreditur, cum Propheta Psalm. 119. exclamat: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, multum incola fuit anima mea*. Heu! quam diuturnum est exilium meum, quam fero ex obscuro hoc carcere egredior, ut me conferam ad perfruendum supremo bono, & voluptatibus cœlestis patriæ meæ, quam post tantum temporis spatium spero! Quando apparebo ante faciem Dei mei, eumque sine obice, ac integumento contemplabor? Scisciatur, quando tempus adveniet, quia nihil scit, & hæc incertitudo auget pœnam illius; ita in hac incertitudine, & libertatis suæ dilatione effundit tanquam lacrymarum torrentes, profunda obruitur tristitia, ac sic videns a Dei visione, & possessione semotam cum eodem Propheta inquit, lacrymæ meæ factæ sunt mihi panes

die, & nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? *Idem.*

Jure conqueri possunt animæ istæ de mora, qua illis fermus opem.

Suffragiorum nostrorum dilatione eas cogimus jure conqueri de iterata mora, quam nectimus, & qua efficimus, ut tandiu patiantur: *Heu me! quando dicetur mihi, expecta, respecta, modicum ibi, modicum ibi*; ait S. Augustinus in Solil. c. 35. Heu quam crudeles sunt animabus illis hæ dilationes, & quam diuturnum, ac molestum est, quod modicum dicitis! Contendendum igitur est, ut hoc passionum, dolorumque tempus illis fiat brevius. *Idem.*

Animæ purgatorii indefinenter patiuntur.

Videmus, quacumque pœna homines afficiantur, infelicissimum quemque aliqua habere intervalla, quibus solatium percipiat; & sicuti inquit Propheta, si vespere lacrymarum fundimus imbres, mane gaudemus; hæc mixtio, atque interruptio efficit, ut majori cum voluptate ea bona gustemus, quæ in vita hac possidemus. Tertullianus ait, quædam esse bona, quæ ferenda non sunt. Equidem hæc non alia puto, quam illa, quibus incessanter, & sine intervallo perfrui deberemus: ea quippe, quæ jucundissima sunt, fastidimus, si nimis diuturna sunt. Quæ cum ita sint, quid dicendum nobis est de his animabus, quæ non quiete, ac lætis rebus fruuntur, sed incessanter immitibus uruntur ignibus, quin vel ullum quietis momentum obtineant; quæ indefinenter afflictantur ob privationem Dei, omnimque gloriæ bonorum, & quæ assidue, ac sine ulla intermissione patiuntur. Nonne igitur non ferendum esse dicendum est dolorem earum, itaut nisi eadem Dei manu sustinerentur, ne momento quidem subsistere possunt? *Idem.*

Animæ purgatorii fugiter illi vacat bono, quo carent.

Anima in purgatorio fortiter adeo adhæret illæ bono illius, quo caret, ut inde mentem suam nequeat avellere, ita ut quemadmodum animæ beatorum in cœlo jugiter suam considerant beatitudinem, eique subinde animum advertunt, atque secum indefinenter omnino reputant jucundissimam hanc cogitationem, quin vel uno momento illam intermittant; ita animæ purgatorii incessanter animo suo molestam hanc valutant cogitationem, neque illam unquam a sua avertunt infelicitate. Heu! careo visione Dei mei, & deliciis gloriæ, quibus modo fruerer; sed tanti hujus mali causa mea est negligentia. Immitibus flammis uror; sed mihi uni succensere debeo; illas poteram evitare. Deus iratus est contra me; sed scelera mea illum irritaverunt. Illum mulcere poteram, & modicis sumptibus justitiæ illius satisfacere; hoc non præstiti; culpa mea est. Omnes hujusmodi considerationes, quibus identidem suas pœnas, sua peccata, suamque recogitat negligentiam, sunt nuntii Job, a quibus admonetur de suis calamitatibus, ac detrimentis sine ulla intermissione, & quin liber ei spiritus relinquatur, vel quin inter unam, alteramque ærumnam requies ulla ei permittatur. *Idem.*

Indefinenter in purgatorio pœna sensus perseritur.

Ignis, quo animæ illæ comburuntur, *ignis indefessus* a S. Hilario in Ps. 118. vocatur; ignis, qui nunquam fatigatur, & semper cremat animam, donec aliquid divinæ debet justitiæ. Heu! In hac vita inimicus persequendo fatigatur; sed animæ purgatorii nullum habent momentum, quo liberum ducant spiritum, incessanter torquentur. Dei brachium, quo percutiuntur, nunquam delassatur; ignis divinæ instrumentum justitiæ infatigabilis est, neque infirmatur. *Idem.*

Crudelitas eorum, qui animabus purgatorii nos opitulantur.

Ut omnis sufficeretur miserationis sensus erga miseras animas! nonne æque crudelem esse oportet, ac olim dives ille nequam, qui Lazari præ foribus ædium suarum jacentis infelicitatem nunquam misertus est? Oculi ejus aperti sunt, & miseri hominis vulnera videt, auribus illius accidunt clamores, & ejulatus pauperis, nihilominus vulgatissimis naturæ motibus non afficitur: quisnam illum intuitus ita durum erga similem eum pati, vel sæviam ejus excusare potuisset? Heu! quis ergo vestrum, Auditores Christiani, excusare posset crudelitatem, quam adeo frequenter erga has miseras animas, quas nullo juvatis subsidio, exhibetis? Potestisne domo efferre pestem, quin vobis mortualis quæpiam occurrat pompa, quæ sopitos excitet sensus vestros de parentum defunctorum statu securos? Quemcumque profertis gressum in his cœmeteriis, ac templis, nonne excitatur in vobis memoria amicorum vestrorum, quorum ossa oculis vestris exposita sunt, ac inter quæ in his sanctis locis vestra quoque collata quamprimum cogentur viventium emendicare preces, atque suffragia? Mortui quidem non clamant, neque ossa proferunt verbum; verum est: muta sunt eorum crania, ac pus cadaverum nullam habet amplius similitudinem cum corpore vestro mortali; non abnuo. sed ecclesia nonne suis clamoribus, precibusque pro illis loquitur ad vos? Num aures obstruxistis enixis flagitationibus, & sollicitudinibus ejus? Nonne ipsa tanquam ex tenebricosa ejus carceris, ubi miseræ illæ torquentur animæ, caligine clamat: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Job 19, P. de la Rue, sermone de precibus effundendis pro Mortuis tomo tertio sermonum, qui illi tribuuntur,

Ingratitudo eorum, qui oblivisciuntur, & derelinquunt parentum, suorum animas post cœli decesu.

Parentibus vestris sepulchri honorem debetis; quibus probris vosmet dignos præbuistetis, quod ingrati animi vitium præ vobis tulistetis, si ex contemptu, animi hebdine, oblivione, aut ingenio nuda, & frigida reliquistetis eorum corpora, postquam illine anima decessit? Nonne vobismetipsis probro verteretis negligentiam ejus officii, & curæ, quæ potius ad vivorum, quam ad mortuorum solatium fuit instituta? Cura quidem laudabilis; sed interest emortui cadaveris magno strepitu, funebrique pompa efferri, an elanculum in sepulchrum inferri, post exitum vitæ: in ligneo, an plumbeo loculamento putrescere; vermium, an ferarum pabulum fieri? Attamen in hoc omnis erga mortuos pietas constituitur; exterior aliqua corporum suscipitur cura, donec omnem abjicimus sensum, ne flectamur doloribus animarum, quæ excruciantur, & quæ judiciorum Dei viventis severitati traditæ sunt. Ubinam ergo est miseratio vestra, ubi grati animi sensus erga eos qui de vobis perquam bene meriti sunt? *Idem.*

Illis inalterata vita opem ferre desiderantes, qui in hac vita nobis obtuleristi.

Quoties parentes vestri proprio insudarunt exitio, dum vestræ invigilarent utilitati? Animo igitur reputate, pœnas, quas illi pro vobis pertulerunt, peccata, quæ pro vobis commiserunt, & supplicia, quæ propter amorem vestri in caput suum pertraxerunt, & adhuc patiuntur. Extendite ergo usque in tristem eorum mansionem eleemosynas vestras; illuc vestra ingrediantur suspiria, & ex malis, quæ ipsi parentibus vestris peperistis, vestra metimini officia. Pro vobis tot laboribus, dum viverent, exerciti fuerunt; nihilne pro illis post eorum obitu facere vultis? Pro vobis patiuntur, nihilne pro illis pati vultis? Hæc bona, quæ vobis ipsi reliquerant, & quorum vos possessionem adiistis, fuerunt ipsis occasio peccatorum, & materia suppliciorum, tantone pretio genitoribus vestris stare debent voluptates vestræ, atque solatia? Quem doloris sensum habere non debent patres vestri, cum sumptibus suis vos ridentes, lætantesque conspiciunt? Quæ pro illis tristitia, cum Deus illis ostendit, quem in usum male effudistis ea, quæ ipsi collegerunt! Quæ recens doloris causa pro illis, ubi audiunt, vos in superfluus vanitates impendere fructus veterum peccatorum suorum! cum aliquando vos intuentur suo procedente funere, lætitiæ sensus cum tristitiæ specie miscere! Ad tantæ crudelitatis adspectum augetur quidem miseraram animarum supplicium; sed nonne ipsa etiam vestra crescit reprobatio? Si in altera vita nastæ sunt Deum severum, qui in eas animadvertat propter nimiam, qua vos prosecutæ fuerunt, dilectionem: nunquid crudelitas, & sævitia vestra non invenient immitem judicem, a quo condemnemini? *Idem.*

Sævicia erga animas purgatorii magnam est nostræ reprobationis præsagium.

Nisi vos movet tot animarum prædestinatarum, & nihilominus in horrenti carcere detentarum ad crimnum reliquias expiandas calamitas, nonne hoc indicium est, vos nequaquam in prædestinatorum numerum descriptum iri, & metuendi causa, ne eo in statu futuri sitis, ubi nullum fructum capere valeatis ex iis suffragiis, quæ pro vobis aliquando offerentur? Equidem vereor, ne in prædestinatorum numero sitis; si enim effetis, intelligeretis, quid sibi velit separatum esse a Deo, qui vestræ esset deliciæ. Si effetis Dei filii, propter felicissimam hanc affinitatem ad misericordiam vos flecteret fratrum vestrorum calamitas Dei adspectu carentium, qui unus eos beatos potest efficere. Gratia operaretur, quod quotidie operatur natura inter filios ejusdem patris, eodem concretos sanguine, & ex eadem familia: non estis ergo filii Dei. Eheu! illum fortasse aliquando patrem vestrum vocabitis, quemadmodum dives nequaquam appellabit Abraham, neque mitius ab illo excipiemini. *P. de la Rue Sermone de Oratione pro mortuis.*

De hæreticis impugnantibus fidei purgatorii, & oratione pro mortuis.

Ut oratio pro mortuis superstitionis nomine insimularetur, quod Hæretici faciunt, suffocandi fuere tenerrimi naturæ sensus, quos in nobis parentum nostrorum memoria non excitat, quin hæc quamdam excitet anxietatem cum reverentia conjunctam, qua impellimur, ut pro eorum requie vota nuncupemus; damnandæ fuerunt omnes terrarum orbis nationes, quas nulla prohibere potuit barbaries, ne majorum cineres reverterentur; improbandus fuit veterum Patriarcharum mos, qui super patrum tumulos pauperibus publica sternebant prandia, eisque solemnes erogabant eleemosynas; fides abroganda fuit Sacrorum libro-

rum auctoritati, docentium orationem pro mortuis cogitationem sanctam esse, ac salubrem; gravissimis ecclesiæ Patribus neganda fuit auctoritas, scripta eorum mutilanda, opera infideliter vertenda, & omnium elapsorum sæculorum traditio neganda. Hæc facienda fuere, & per tantum nefas mens, & cor hominum ad hanc erga mortuos sævitiam deducenda fuerunt. *Idem in alio Sermone Manuscripto.*

De Catholicorum negligentia in precibus pro defunctis effundendis.

Quanam in re præstamus illis, quorum errorem damnamus, si cum nobis persuasum sit de necessitate, ac utilitate orationem pro mortuis, earum praxin negligimus? Uter nocentior est, illene qui obstruit oculos necessitatis fratris sui, an qui videt illas, eique opem negat? Aperite ergo hodierna die oculos, & cor illorum miseriis: nostrum quilibet est intra duos mundos, quorum alter ante, alter vero post nos est; alter fugit, advenit; alter in terram revertitur, alter egreditur de terra. Mundus hic præteritus sunt patres nostri; mundus hic oriens sunt filii nostri; æterna priorum requies in manibus nostris quodammodo sita est: alter ex his mundis a vobis opem petit, vos autem ab altero opem expectatis. *Idem.*

Divini adspectus privatio in purgatorio.

Anima quin in Deo suam requiem inveniat, sentit hunc ipsum Deum sibi suum suum claudere, illam expellere, atque per vincula, quæ sensibus percipi nequeunt, crudelibus ignibus adnectere. Terribile exilium, mansio terribilis! deplorabilis solitudo, & deplorabilis societas! Crudelis separatio, & unio crudelis! a corpore, & a Deo suo separata, sed immitibus flammis unita, inhæres, vincta. Quænam damnato hæc in inferno desperatio est! Sed quis dolor fideli in purgatorio! Uterque Deum quærunt, utrumque Deus fugit, uterque sese offerunt Deo, utrque se Deus abscondit. Justi in purgatorio Deum petunt, & Deus illos repellit: ad Deum accedunt, & Deus ab illis recedit; illi se in Deum ejaculantur, & Deus illos præcipites dejicit. *Idem.*

Ignis in purgatorio pœna.

Quoad pœnam, quam ignis miseris hisce animabus adfert, ignis ex omnibus elementis ad agendum celerrimus, & qui adeo mirabiles gignit effectus, cum manibus nostris applicatur, in manibus Dei quid facturus est? *In duritia manus tuæ adversaris mihi*, Job cap. 30. inquit. Ibi totum Dei robur impeditur; ibi ille agit tanquam Deus, non autem simpliciter tanquam natuæ moderator, sed tanquam supremus naturæ Dominus, de rebus omnibus vel secundum, vel contra ipsarum studia disponens. Quidquid autem Deus facit tanquam Deus, id agit non sine excessu magnitudinis, quam omnes cogitationes nostræ assequi nequeunt. Deus loquitur, ut Deus, & Deus est verbum illius; Deus amat ut Deus, & Deus est amor illius; Deus parcit ut Deus, & Deus pro nocentibus moritur; Deus remuneratur ut Deus, & Deus est ipsa merces: Deus punit ut Deus, quænam supplicia! Et si elegit ille ignem pro sui furoris instrumento, quinam esse debet hujus ignis præ nostro hoc ardor, & virtus? *Idem.*

Animæ purgatorii sibi nequeunt opitulari.

Quod si ad acerbitatem dolorum, & diuturnitatem pœnarum accedat tertia calamitas, quod animæ in purgatorio se ipsæ juvare non possunt, profecto non parum excrescet infelicitas animarum earumdem. Hic enim in terris vix quisquam est tam miserabilis, qui non possit vel fugiendo, vel resistendo, vel amicos requirendo, vel appellando ad aliud judicium, vel misericordiam judicis implorando, vel aliqua alia ratione se a cruciatibus aliqua ex parte liberare. At in purgatorio nihil omnino possunt, nisi patienter supplicia tolerare. Possunt quidem viventes in carne sancti homines pro defunctis orare, & eleemosynas, atque alia satisfactoria opera pro eis offerre Domino. *Bellarm. de gemitu columbæ lib. 2. cap. 9.*

Satis esse non debet sterilis erga sanctas has animas miseratio.

Neque in sola miseratione subsistendum est: hoc spectaculum excitare debet vestram charitatem, & zelum, ut illis opitulemini. Heu! animæ illæ adeo cruciantur excruciatæ vos sollicitant lacrymis suis, ea benevolentia, qua vos prosecutæ sunt, & ea, qua jure expectant, ut vos illas prosequamini. Ne minimum quidem exerere possunt constum ut sese illis expediant ignibus, quibus invisibilibus vinculis alligatæ sunt; sed vos illas liberare potestis. Divinæ satisfacere nequeunt justitiæ, nisi debitum omne ad extremum usque quadrantem dissolverint; sed vos modico sumptu pro illis satisfacere potestis. Illæ nullam sperare possunt gratiam, quamtumvis enixius precentur; at eam vos illis obtinere potestis: oratio, eleemosyna, mortificatio, minimum opus bonum, quod pro illis Deo offeratis, illis esse potest solatio *Idem.*

Purgatorii cogitatio nos immittere debet vel levissimorum criminum metum.

Status, in quo sunt animæ purgatorii, non miserationem tantummodo vestram excitare, & charitatem inflammare debet, verum etiam vobis timorem incutere. Quodcumque illæ patiuntur, vobis significare debet, quid sit vel levissimum crimen, & quo illud odio persequatur Deus. Deus enim infinite misericors adeo severe animadvertit ob unam venialem noxam in animas adeo sanctas, quæ illius sponsæ sunt, quas unice diligit, & a quibus perfecte diligitur. Ignis piacularis facem vobis præferre debet, ut intelligatis, quid sit crimen veniale, quod parum adeo extimescitis, & quod facile adeo committitis; sed efficere debet, ut certum ineatis consilium tot, tantaque mala per pœnitentiam prævertendi. Potestis brevi, lenique mortificatione pro diuturnis, crudelibusque purgatorii pœnis satisfacere, nec id agitis. Nunc modico sumptu redimere vobis licet, quod aliquando nonnisi gravissimis pœnis luendum erit, & negligitis. Vivæ, veræque pœnitentiæ lacrymula modo ignes illos potest extinguere, torrentibus tunc effundendis non extinguendos; quæ cœcitas! Heu! quam acerbis fletibus hanc aliquando prosequemini negligentiam, quæ adeo charo pretio vobis statura est! *Idem.*

Animabus illis opem ferentes, Deo nihil gratius facere poteritis, illum dura liberabitis necessitate, quam illi justitia & sanctitas sua injicit, quantumvis, ut ita dicam, amor ejus repugnet. Vobismetipsis maximum procuratis bonum; cum enim illæ suam vobis felicitatem debituræ sint, cum eadem perfruentur, numquid vestri oblivisceuntur? Pro vobis autem deprecantes quid a Domino obtinere non potuerunt? *Idem.*

Ex nobis pender liberare animas purgatorii, & fieri quodammodo Salvatores earum.

Si in vestra situm esset facultate damnatos omnes servare, quem in corde vestro effectum cogitatio ista produceret? Deus autem parem vobis confert potestatem. Vobiscum suam partitur auctoritatem; justitiæ quidem suæ infernum reservat, vobis autem purgatorium relinquit. . . Vestrum est illum exhaurire; vos illius flammas extinguere potestis. Eadem flamma in utroque carcere adurit; carce is hujus rei magis, quam alterius vestram merentur misericordiam; nonne est illos odisse, videre eorum miseriam, illis opem ferre posse, & id vel abnuere, vel negligere? *P. de la Rue serm. manusc. hujus argumenti.*

Satis liquet, quid sit hæres, quem consuetudo in demortui vocat successionem; liberalitatis ejus effectu æque rara sunt, ac doloris; eleemosynæ æque infrequentes, ac lacrymæ. Nimis eminus ad eum suggitur natura, ut eor illius ad parentis interitum molliat, & nimis prope ad eum cupiditas loquitur, ne aliquod sibi elabi permittat lucrum, quod hic illi affert interitus. Recentem hæreditatem prædam sibi debitam putat, & defuncti largitates tamquam furtum sibi factum existimat. Quidquid sanguis valet, hoc est in filiorum corde turpes hos avaritiæ sensus reprimere; quos tamen non semper celare potest ... Nisi urgens aliquod negotium nostram cum parris vita fortunam consociet, haud ægre solatium invenitur morti, quæ sæpe nimis lenta videntur, & raro vita nostra prævertit. Ut videamus dolorem sincerum, & lacrymas sine arte, & fuco super mortuos effluere, pauperum tabernæ adeundæ sunt: illic sine ulla avaritiæ causa, simplex natura flectitur necessariæ separationis incommodo, nec alibi inquirit solatium, nisi in sensu, & ope miserationis. *Idem.*

Putant nonnulli se animæ suæ tranquillitati consulturos esse testamento. O inutilem prudentiæ vestræ precautionem? Quid bonum testamentum appellas? Ut tale fiat, sufficitne dicere, dono, lego, relinquo, jubeo, volo? Quot in forma, materia, executione difficultates! propter oppositiones eorum, qui se læsos putant, propter solemnes justitiæ formulas, propter executorum incuriam, aliosque sexcentos id genus scopulos, in quos testatorum prudentia misere altidit. Sed optimum etiam testamentum, quod æquissime confectum